



ncisci Scacchi De Salubri. Poti
1
6
561










XV
SCAC




AD AETHERA
AD AETHERA
FRANCISCI
SCACCHI
FABRIANENSIS
DE
SALUBRI
POTU
DISSERTATIO
superiorum permissu.
Romæ Apud Alexandrũ Zannettum
M DCXXII



OCTAVIO BANDINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

FRANCISCVS SCACCHVS F.



OCRATES ille, quem non Pythium magis oraculum, quàm Platonis discipuli diuinum os celebrauit, adoleſcentulum quemdam dum cæteri loquerentur tacentem conſpicatus, loquere, inquit, vt te videam; Sic coeleſtis ſenex, quamuis vita magis, quàm verbis Philoſophus, audire voluit loquentem, vt noſſet qualem ille ſe in agendo præſtiturus eſſet. Vox hæc Socratis me quoq; admonet, CARD. ILLVSTRISS. vt ſilentio abrupto, Libellum hunc edam, (hæc enim maxime opportuna loquendi ratio eſt) non tàm vt probem qualem me in operando ſim præ-

stiturus in posterum, quàm vt demonstrem, qualem me ante hac præstiterim. Vigesimus enim agitur annus, ex quo tuas valetudines singulari beneficio tuo, ac fidei testimonio regere instituі. Debentur igitur tibi hæc nostri laboris auspicia, qui labores nostros, ac studia fouisti, & qui tibi quodcunq; in me est acceptum refero, ingratè, ac dementer agam, ni primos tanti beneficij fructus tanquàm sospitatori ac tutelari, verecundè quidem ac timidè, alacriter tamen, ac promptè tibi offeram. Sed quod maximè mirum in Principe, amplissima beneficia, quibus me perpetuo, ac familiam totam meam obstrinxisti, postremum inter ea locum obtinent, quæ me ad hoc faciendum impulere. virtutis tuæ fulgor, ac merita, non modo fortunæ amplitudinem, sed omnium beneficiorum memoriam exsuperant. Hæc enim poscunt, vt tibi gratias referam: illa alliciunt vnumquemq; vt te quàm maximè colant, & admirentur. Itaq; in hoc publicus sensus, quo omnes ad virtutem tuam venerandam trahuntur, priuatis meis rationibus, quibus tibi tantum debeo, prior ac potior apud me nunc

erit

erit. Præterea Liber hic de Salubri potu tractat, quæ materies à me digesta cui potius offerenda sit, quàm illi, qui saluberrimo semper potu, parcissimo nimirum, ac maximè sobrio vsus fuerit? Addatur hæc virtus cæteris tuis amplissimis, si modo in te virtutem esse admittis, quæ in naturam abijt. Noua igitur cura tibi imponitur, vt naturam tuam probes, hunc quoque Librum tutandi, aduersus eos nimirum, qui cum perpotandi libidinem tegentes, id veluti naturæ consonum, ac valetudini accommodatum sectari se contendant, facilè credo, nè vitium fateantur suum, in librum nostrum præcipites ferentur, quibus ego sanè spero, me rationibus iturum obuiam, si tu deterreas auctoritate. Non erit mihi tamen hoc beneficij loco, namque pro auctoritate exemplum erit. Sic nos vtroque præsidio muniti, satis commodè propulsabimus aduersariorum impetus, probabimusq; apud omnes tuum iudicium, vt cum te erga scientiarum sectatores tantum patronum præstiteris, non immeritò prorsus videare nos simili munificentia iuuisse.

ELO-

IO. BAPTISTAE RINVCCINI.

Corporis innumeras pestes, ægrotaq; mentis
Sensa nocens Bacchi fecerat esse liquor.
Huic tu fræna malo nectis, potusq; salubres
Pæonia reddit conditus arte liber.
Quid tibi mortales nolint debere, quibus iam
Quod fuerat leti causa, salutis erit?

HIER. ALEANDRI.

Bis genitum Semeles puerum cùm misit ab astris
Nympharum in gremium prouida cura Iouis,
Non glacie rigidis, non feruescentibus vndis,
Lotus at egelìdis fontibus ille fuit.
Nunc verò sunt, qui diris vel perdere flammis,
Vel nimio satagunt hunc iugulare gelu.
Tu FRANCISCE vetas. hinc rursum è funere raptus,
Terq; tuo genitus munere Bacchus erit.

HENRICI CHIFFELLII.

Dum potus loqueris salubriores,
SCACCHE Hippocraticæ decus palestræ,
Morbos, quos alij fugant adultos,
Docto tu calamo vetas oriri.
Sic is, qui frutices repullulantes
Ab radice reuulserit nociuos,
Vinitoribus antecellit illis,
Qui natos satagunt putare ramos.

IN-

INDEX CAPITVM.

An



Imprimatur. Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

P. Episcopus de Curte Vicesgerens.

MAndante Reuerendissimo Patre Sacri Palatij Apostolici Magistro, legi librum de Salubri Potu D. Francisci Scacchi Fabrianensis, nihilque in eo inueni, quod Catholicæ Religioni, bonisuè moribus officiat, ideò typis mandandum censeo. Romæ hac die 1. Augusti 1621.

Hieronymus Aleander.

Imprimatur, F. Ignatius Ciantes Magister, & Socius Reuerendissimi P. Fr. Hyacinthi Petronij Magistri Sacri Palatij Apostolici, Ordinis Prædicatorum.

PRAE-

PRAEFATIO.



OGITANTI mihi, quantum momenti habeat innoxius & ſalubris potus ad corporis, mentiſq; ſanitatem tuendam, & quæ ſit cauſa, cur pauci admodum hac bibendi ratione vti ſtudeant, illud occurrit, voluptatis ſpecie homines facilè duci, & præ hac valetudinem ipſam parui facere, ac tantùm non deſpicere. Quidam enim palato nimium indulgentes meraciſsimum bibunt vinum, ſtultum exiſtimantes, tã ſuauis potionis ſinceritatem tollere, & Bacchum (vt neſcio quis aiebat) aqua iugulare. Alij tam puſillum aquæ vino infundunt, vt perfunctoriè id facere dicas, cumque aut nihil, aut parum noxiarum virium vino demant, ſuæ potius ſanitati, quàm alijs illudunt. Sunt etiam qui vina, quæ acumen ſapiunt, & punctiunculis quibuſdam linguam titillare videntur, ſolerti ſtudio perquirunt, aut etiam arte vtuntur, vt talia efficiant. Non contenti alij ijs ſaporibus, quos prouidens parens natura vinis indidit, varia inter ſe vina commiſcent, & inuicem corrumpunt, vt nouus inde emergat ſapor, nouæ accerſantur illecebrę ad valetudinem labefactandam. Aliud in potu voluptatis genus conquirunt alij, vt ingruentibus morbis plures pateant ianuæ: glacie nimirum, ac niue ad ſummum frigus vinum perducunt, eoque vtuntur non in feruore ſolùm æſtatis, ſed quolibet anni tempore, quo (vt ſic dicam) rigore ita delectantur, vt nihil ijs ſatis frigidum videatur. Plures ſunt denique vinolenti homines, qui tunc inſuauem ſe vitam viuere

existimant, cum os à poculis abstrahunt, & dum operam se dare credunt ne sitiant, maiorem sitiendo causam sibi aduocant: dum vini calor sitim vehementius excitat, adaucta sitis noua subinde pocula flagitat. Ex quibus omnibus mirum dictu, quãtum morborum seminarium oriatur, quantum noxæ, quantum detrimenti cùm corporibus accidat, tùm animis. Adeoq; vitiatur hominis natura, vt succumbentibus medicinæ auxilijs, repentina alij morte corripiantur, alij in senium præcipitati, quàm citissimè obeant, alij in cruciatibus, quos sibi ipsi comparauerunt, quemadmodum Perillus in Tauro, vitam infeliciter trahant. Ac non alia propemodum ex causa vitam hominibus tam breuem hoc tempore contigisse autumo, quàm ex huiusmodi potus abusibus, quibus quãtum in me erit, obuiam ire decreui. Sum enim hoc in opere (ni animi fallor) ea omnia diligenter pertractaturus, quæ pertinere ad salubrem potum videntur, atque ad haurienda (vt Poeta quidam canebat)

--------- *innocentis pocula Lesbij*.

Nam cùm homo, (ut scite aiebat Aristoteles) non uiuendi solum, sed etiam bene uiuendi rationem obtinuerit, utpotè qui præ cæteris animantibus diuinitatis quodammodo sit particeps, diuinitatis autem sit officium intelligere, & sapere, si quis eo uti potu neglexerit, qui mentis, & corporis sanitatem tueri, uitamq; protrahere potest, non utique is sapere, sed desipere, non intelligere, sed ui mentis destitutus esse dicendus erit. Qualis uerò huiusmodi potus esse debeat, cum rationibus, tum auctoritatibus scriptorum primas tenentium ita me demonstraturum confido, ut facilè vnicuiq; ea in re ueritatem patefactum iri non dubitem.

FRAN-

FRANCISCI SCACCHI

FABRIANENSIS.

DE SALVBRI POTV DISSERTATIO.



Quis sit salubris potus, an frigidus, an calidus, an tepidus. Cap. I.



VT facilius quis sit salubris potus statuere valeamus, illud primo inuestigandum censui, quem nam vsum humanis corporibus, cæterisq; animantibus potus præstet; qua in re si Galenum consulere velimus, non solum percipiemus potum nulla alia ratione desiderari, nisi pro reparatione humidioris substantiæ, sed discere etiam poterimus, ipsammet naturam eundem potum statuto tempore, debitam ipsius quantitatem, ac conuenientem speciem appetere. Potum verò à natura desiderari pro reparatione humidioris substantiæ docet Galenus lib. 1. de sanitate tuenda, cap. 2.

his verbis. Cum tota animalium moles in perpetuo fluore sit, nisi similis altera substantia pro ea, quæ defluxit restituta sit, euaporabitur certè, ac dissipabitur vniuersum corpus. quo factum arbitror, vt natura non animantibus modo, sed etiam stirpibus insitas quasdam vires deficientis, ac desiderati semper appetentes statim dederit. Non enim vesci, bibere, ac respirare à quoquam vsquam discimus, sed statim à principio facultates in nobis habemus, quæ hæc omnia citra docentem perficiant, cibo igitur quicquid ficcioris substantiæ effluxerit, restituimus: potione quicquid humidioris: atque ad pristinam sic symmetriam ambo reducimus. *Quod autem natura potum statutis horis, ac certam ipsius quantitatem, & conuenientem speciem desideret, docet idem Galen. lib. de dissolutione continua, sic dicens,* quia corpora hominum sunt in continua dissolutione, & propter calorem naturalem, qui est in ipsis, & propter calorem aeris circumdantis ea extrinsecus, fuit necessarium restituere in eis, quod dissolutum est de ipsis. Ideoq; fuerunt necessarij cibi, & potus, & fuit infusa in ipsis virtus appetitus ad cognoscendam horam necessitatis eorum, & quantitatem assumendam de eis, & speciem conuenientem eis. *Speciem autem conuenientem eis ad reparandum quod dissolutum est de ipsis, esse alimentum calidum, frigidum, humidum, & siccum, patet ex eo, quia omnium animantium corpora, ex calidi, frigidi, humidi, & sicci mixtura conflata sunt, vt docet Galenus lib. 1. de temperamentis, cap. 1. quæ mixtura cum assiduè dissoluatur, tum ob intrinsecum calorem, cum ob extrinsecum ambiens, necesse est, vt simili alimento quotidie reparetur, tale autem erit, quod superius diximus, idque ex Aristotele comprobatur lib. 2. de Anima tex.*

28. dum

28. dum ita loquitur; Siccis enim, & humidis, & calidis, & frigidis aluntur omnia viuentia, & horum sensus tactus est, *qui sensus nulla alia ratione fieri contingit nisi ratione inanitionis, dissoluta inquam aliqua substantiæ portione ipsorum viuentium, quæ substantia cum communiter à Philosophis in calidam, & siccam, ac in frigidam, & humidam diuidatur, hinc in ipsis quotidie fames, & sitis excitantur, quæ nihil aliud sunt ex Aristotile loco supra citato, quam concupiscentia, fames quidem calidi, & sicci, sitis autem frigidi, & humidi, id quod affirmat etiam Auerroes lib. 2. coll. cap. 13. sic inquiens:* Fames est sensus resolutionis substantiæ crassæ, calidæ, & siccæ, & sitis est sensus resolutionis substantiæ frigidæ, & humidæ. *Itaque conueniens alimenti species ab omnibus animantibus desiderata pro reparatione frigidæ, et humidæ substantiæ, frigida, & humida actu, ac potentia, potio statuenda erit. Nec propterea quod Galenus lib. 1. de sanitate tuenda cap. 2. affirmauerit, cibo quicquid siccioris substantiæ effluxerit restitui: potione quicquid humidioris, existimare quis debet, siccum, ac humidum alimentum dumtaxat conuenientem speciem esse ad reparandum, quod dissolutum est in viuentibus, non autem calidum, ac frigidum requiri, quia Galenus per humidam substantiam intelligit id, quod aqueum est, per siccum verò id, quod vel terreum, vel igneum est, vt optimè declarat lib. de Marcore cap. 4. Cum itaq; id, quod aqueum est, frigidum, & humidum sit, vtique ad eius reparationem etiam secundum Galenum frigida, & humida potio à natura desiderabitur, & eo magis, quia deficiente frigida, & humida substantia in corporibus, accidit etiam, vt naturalis ipsorum calor intensior, & acrior efficiatur. Quod autem frigida & humida potio ex Galeni mente re-*

quiratur, *patet primo ex lib. I. de Symptomatum causis cap.7. vbi postea quam famem, ac sitim appetentiam esse ob penuriæ sensum enunciauit, sitis causam afferens, ventriculi calefactionem, ac siccationem esse affirmat. Secundo patet ex lib. I. de simplicium medicamentorum facultatibus cap.3. vbi sic loquitur*, sitis dupplici ratione prouenire solet, partim humoris inopia, partim caloris copia. *Tertiò patet ex eodem Galen. supra citato lib. cap. 29. vbi asserit*, si cum vino bibatur aqua, sitim efficacius extingui, quam si sola, vino scilicet ipsam ad distributionem promouente: Itaque refrigerationem, sitisq. sedationem ab aqua prouenire, vt quæ frigidæ naturæ sit, & humidæ, *& vt summatim dicam, Medici omnes, ac Philosophi conueniunt sitim esse appetitum frigidi, & humidi, & non alia certè ratione, nisi vt dissoluta frigida, & humida corporis substantia ob calorem cum externum, tum internum, vt superius diximus, restituatur; Qua propter ipsa eadem natura, quam sæpè sæpius Hipp. tum admiratur, tum prædicat, quam & iustam nominat, & solam animalibus ad omnia sufficere dicit, ipsamque sine doctore, quæ opus sunt agere, æstate potissimum frigidas satis aquas nobis subministrat, quemadmodum & Cellæ in quibus vina asseruantur frigidiores sunt æstiuo tempore. Cum itaque natura nihil frustra agat, vt docet Aristotiles primo de Cœlo tex. 32. nihil casu, vt idem docet secundo de cœlo text. 50. nihil sine ratione, vt eodem lib. text. 59. ac denique in necessarijs non deficiat, qua nam ratione asserere quis audeat frigidum potum animalibus omnibus secundum naturam non esse, si natura ipsa ipsum appetit, ac subministrat, & præsertim æstiuo tempore? His omnibus accedit quotidiana experientia, quis enim dum vehementi tenetur siti, & maximus*


ximus

ximus viget calor, magna cum delectatione, ac virium subleuatione frigidum potum non sumit? idque propterea quod ratione frigidi potus, non solum exinanitæ frigida, & humida substantia venæ replentur, sed naturalis calor per corpus diffusus ad naturalem sedem reuocatur, & extraneus à quo corpus læditur, expellitur, quod quidem à calido, siue tepido potu tantum abest, vt præstari possit, vt potius contrarium accidere necesse sit, & eo præsertim tempore, quo homines maximè inappetentes sunt, æstate scilicet, quo tempore calidus, siue tepidus potus, non solum maiorem affert inappetentiam, sed quicquid alimenti aliqua cum difficultate sumpserit homo, facilè etiam eijcit. Quis enim hominum ignorat vomitum calida, vel tepida potione (cum ventriculus noxijs, ac superfluis humoribus refertus est) excitari? Et propterea summo iure Hipp. 5. Aphoris. 16. & lib. de humidorum vsu num. 3. hæc habet; Calida quidem amplius ea vtentibus has læsiones inducit, carnium effæminationem, neruorum debilitatem, mentis stuporem, sanguinis eruptiones, animi deliquia, hæc ad mortem. *Auicennas lib. 1. fen. 2. cap. 16. ita scribit.* Aqua calida digestionem corrumpit, & facit natare cibum, neque illico extinguit sitim, & est, cum ad hydropisim adducit, & hecticam, & consumit corpus. Aqua vero calefacta cum fuerit tepida, facit nauseam, & cum fuerit calidior, quam hæc, & in ieiuno bibita fuerit, multoties stomachum lauabit, & ventrem soluet: eam tamen frequenter bibere est malum, quia stomachi debilitat virtutem. *Idem confirmat Rasis. cap. 4. tract. 3. ad Almansorem sic inquiens:* Aqua tepida nauseam facit, aqua vero calida, si frequenter bibatur stomachum corrumpit, ac debilitat. *Fatendum itaque ratione, & experientia, frigidum potum non*

solum hominibus, sed cæteris quoque animantibus maximè naturalem esse, ac necessarium, quæ autem frigiditas in potu requiratur 4. cap. indicabimus; Illud tantum in præsenti reliquum erit, vt dubitationem, quæ ex superius dictis oriri potest, soluamus, quomodo scilicet à frigido potu naturalis calor reuocetur, & extrinsecus expellatur, cum frigidum æque contrarium sit, tam calori naturali, quam extraneo. Ea obiectio dilui facilè potest, si dicamus propterea id contingere, quia calor naturalis, qui coctioni inseruit, præcipue in visceribus residet, & cum violenter, ac præter naturam à calore extrinseco ad circumferentiam trahatur, ratione alterationis, quæ in ventriculo fit, & propter consensum, ac communicationem, quam ventriculus habet cum omnibus corporis partibus, naturalis calor facilè retrahitur, & fortior redditur contra suum contrarium, quod quidem elementorum exemplo demonstrare facile possum; Elementa enim cum extra naturalem locum reperiuntur, velocius ad ipsum redire solent, calor autem extrinsecus, & æstiuus, qui humano in corpore insidet, cum ratione inspirationis, tum ratione penetrationis, quatenus corporis poros rarefacit, & aperit, cum in corpore præter naturam resideat, facili negotio à frigido potu expelli solet, præterquam quod naturalis calor maior semper est ambientis calore, & semper etiam superat naturalem potus frigiditatem, alioquin naturalis calor, non modo fortior non euaderet, sed potius succumberet.

An

An frigidum veteres, an calidum biberent. Cap. II.



NTIQVISSIMOS, atq; adeò primos homines, eorumq; posteros per longum temporis interuallum nulla gulæ irritamenta sequutos fuisse, nullamq; artem in potu, ciboq; adhibuisse, sed ijs, vt naturæ placuit, vsos fuiße, dubitandum non est; si quidem initium vitæ hominis, aqua, & panis, vt Sapiens Ecclesiastici 29. & aqua quidem, vt natura subministrabat, post vero aliqua annorum curricula Aegyptij primùm, & Assirij, deinde Græci, ac tandem Romani licet inter omnes alias nationes seueritate morum, ac parsimonia insignes, ad extremum tamen luxuriæ succumbentes, gulae irritamenta adeo sectari caeperunt, præsertim verò ditiores, ac nobiliores, vt diuitijs ad luxum ac insolentiam dumtaxat vterentur, & non amplius cibum potumque, vt natura poscit, desumerent, sed cibaria sexcentis modis miscere, & condire, ac potum varijs artibus parare consueuerint: sanè Romanorum *luxum ab Asiatica opulentia ortum duxiße Titus Liuius testatur, lib. 39. vbi sic ait,* Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico inuecta in Vrbem est, *& non solum in cibo, ac potu, vt ibidem legitur, sed omnibus in rebus. Idem refert Athenaeus ex Iuba lib. 6. dipnos. scribens,* Romanos vsque ad macedonum tempora fictili supellectile in cœnis ministrasse, posteà verò mores ad sumptuosam vitam conuertisse:

Et quo ad potum attinet, cum frequenter apud veteres Auctores frigidae, ac calidae vsum legamus, ac maxima apud recentiores fuerit controuersia, an prisci frigidum, an calidum biberent, iure merito aliquis huius rei veritatem quęret, propterea non abs re me facturum existimaui si meam de hac re sententiam exponerem; dico igitur aliquos ex veteribus frigidum, aliquos calidum, aliquos temperatum, aliquos quandoq; calidum, quandoq; frigidum eadem aetate potum bibisse, præsertim verò apud nobiles in sumptuosis illis cœnis, in natalium celebratione, in festiuitatibus, in nuptijs, ac in procerum conuictu ob aliquam victoriam frigidum ac calidum potum in vsu magnopere fuisse, & per frigidum potum summe frigidum, siue gelidum intelligendum esse dubitandum non est, id quod complures Auctores tum Graeci, tum Latini testantur; inter Graecos quidem

Galenus 7. methodi cap. 6. calidi, ac frigidi potus vsum ostendit, inquiens; Bibunt quoque alij calidum, alij frigidum, & vinum vel liberaliter, vel parcius, vel omnino nullum: vel hoc genus, vel aliud. *Et in tertio de morbis vulgaribus, com. 2. super ægroto octauo, non solum calidi, & frigidi potus, sed temperati vsum testatur, his verbis:* Hi enim meraciorem, illi sumunt dilutiorem, nonnulli temperatam: sunt qui frigidam, alij calidam, atque vtramque aut de more, aut insueti biberunt aliquando, *lib. 12. Meth. cap. 3. manifestè frigidi, & calidi potus vsum patefacit, dum docet an oximel actu frigidum, vel calidum exhiberi debeat ad eos curandos, qui ob crudorum humorum copiam febricitantes syncopi corripiuntur, hæc inquiens,* Ergo si æstas sit, & eger frigidæ potioni assuetus, frigidum huic oximel dabis: si hyems sit, omni-

omnibus calidum, tum ijs, qui calidæ, tum ijs, qui frigidæ consueuerunt offeres: æque vt si immodicus æstatis tempore æstus sit, etiam ijs, qui calidæ assueti sunt, frigidum vtique, si nullum sit eis viscus ad iniuriam opportunum. *Lib. de consuetudine cap. 1. idem planum facit, his verbis;* Aristotiles igitur Mitilenæus vir in speculatione peripatetica primatum tenens, cum in morbum quendam incidisset, qui à frigidæ sanè potione iuuari poterat, quia tamen talem potum nunquam ingessisset, Medicis eum bibere consulentibus repugnabat, manifesto se scire affirmans, se frigida gustata, spasmo correptum iri: Nam & hoc ipsum asserebat se vidisse in alio, qui sibi, & corporis habitu, & temperamento erat similis, calidæq. potioni erat assuetus.

Athenæus calidi, & frigidi potus vsum apud suos veteres testatur lib. 3. Dipnos. his verbis; Porrò aquæ per quam frigidæ vsum in propinationibus veteres non ignorarunt: verum ea de re tacere constitui, nisi me docueris in epulis an veteres calidam aquam biberint. *& paucis interiectis:* in vsu fuisse calidam aquam priscis, liquet ex Eupolide in populis.

Ahenum calefacere nobis aliquem, & aquam
Iube decoquere, visceribus vt auxiliemur.

Et nonnullis inteprositis.

Celebris officina vobis faciunda est,
Gratã primum Cererem dispergite, deinde maximã
Arijtenam in medio vestrum statuite, demersam in aquæ feruentis lebetem.

Ego ædepol, quæ libera sum, aquam frigidam nunquam biberim.

Et post nonnulla alia, calidæ, ac tepentis aquæ vsum ex

Alexi-

Alexide indicat, dicens,

Alexis in locris.
Ancillae effundebant,
Altera quidem calidam aquam, altera μετάκερας
Amphitis in Balneo
Alta voce iussit
Aquam sibi calidam afferri: alius μετάκερας

His, aliisque adductis ad calidi potus vsum apud veteres probandum, frigidi etiam, siue gelidi potus vsum innuit, dicens.

His quaedam accumulaturo Cynico Pontianus inquit, Veteribus Amicissimi viri, non ignotus fuit aquae frigidae potus.

Alexis itaque in parasito ait.
Etenim volo
Aquam te gustare: cum puteo mihi res est,
Qui frigidiorem introrsum penitus abstrusit.
Alexis in Mandragorizomene illos bibisse niuem, sic ait.
An non supra modum hominũ stirps curiosa est?
Vtque plurimis vtatur rebus diuersissimis, &c.
Bibendam niuem nos præparamus,
Aqua vero nisi calida sit, seruos obiurgamus, &c.

Dexicrates in fabula, cuius titulus est, à seipsis errantes, *inquit*.

Quod si ebrius sum, & niuem bibo,
Ac praestantissimum vnguentum quo facies liniatur mihi,
Aegyptus conficit.
Euthycles in prodigis, seu epistola.
Primus is resciuit, venalis an esset nix,

Elegan-

Eleganti quoque Xenophonti nota fuit in ſuis commentarijs niuis potio.

Chares Mitylenæus in ſuis de Alexandro hiſtorijs, qua induſtria nix conſeruari debeat expoſuit, quo loco petræ Vrbis Indorum obſidionem enarrat. ſcribit enim Alexandri iuſſu foueas triginta, parum inter ſe diſtantes, excauatas fuiſſe, eaſque niue repletas ſuper iniectis quercus ramis, ac niuem longo ſic tempore perduraſſe. Vinum autem, vt gelidius biberent, Veteres olim refrigeraſſe, ſtrattis docet in Pſychaſtis:

Vinum bibere
Calidum nunquam is volet: ſed multo magis contra
In puteo refrigeratum, aut dilutum niue.

His præmiſſis aquæ refrigerandæ artificium ex Prothagoride, ac nonnulla alia Athenæus narrat, deinde inquit

Caliſtratus lib. 7. Miſcellaneorum ſcribit Simonidem Poetam, quo tempore vehemens æſtus erat, apud quendam epulantem ijs qui à poculis erant niuem cæteris, dum biberent, miſcentibus, ſibi verò minimè, hoc epigramma ex in præmeditato recitaſſe:

Hac Olympi latera niue circumtexit
Celer è Tracia irruens Boreas;
Qui hyemali penula minime veſtitorum animum percellit: verum miſſa eſt
In pieriam ſalua regionem manibus compreſſa:
Quandam eius portionem mihi affundito quiſpiam: non enim par eſt
Amico homini calidũ porrigere quod initio bibat.

Idem Athenæus lib. 8. calidum potum luxuoſum fuiſſe apud ſuos veteres teſtatur, dum inter Stratonici Citheriſtæ, arguta dicteria hæc refert.

Rho-

Rhodios delitijs exolutos, & calidum bibentes contemplatus, albos Cyreneos nuncupabat, Rhodumq; oppidum, Ciuitatem procorum. Rhodios quidem à Cyreneis colores diuersos autumans, at ob luxus similitudinem, & procliuitatem eandem in voluptates, cum procis Vrbem illorum comparans.

Philo hæbreus calidum, & frigidum potum veteres bibere consueuisse indicat libro de contemplatione, dum loquitur de conuiuijs discipulorum Mosis, his verbis, Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidissima, cæteris frigida, calida vero his, qui inter seniores tractantur delicatius.

Lucianus in Asino, frigidi, ac calidi potus meminit, nam referens cœnam ab Hipparco factam, tandem hæc inquit. Mensa iuxta lectum sita, & in ea calix, ac vinum vna cum frigida, calidaq; aqua.

Inter Latinos Auctores Seneca calidi, ac frigidi potus vsum frequenter demonstrat, libro enim 4. Naturalium quæst. frigidi meminit, inquiens; Quoniam non contenti vina diffundere veterana, & per sapores ætatesq; disponere, inuenimus quomòdo stiparemus niuem, vt ea æstatem euinceret, & contra anni feruorem defenderetur loci frigore, *Et infra:* Videbis (*inquit*) quosdam graciles, & palliolo focaliq; circumdatos, pallentes, & ægros non sorbere solum niuem, sed etiam esse, & frusta eius in scyphos suos deijcere, ne inter bibendi moram tepescant, *& hoc idem hoc eodem loco pluries, et alibi sæpè testatur. Lib. vero primo de Ira cap. 12. calidi vsum ostendit, dicēs,* Irascuntur boni viri pro suorum iniurijs; sed idem faciunt, si calida non bene præbeatur, si vitrum fractum, si calceus luto sparsus est. *Lib. 2. cap. 25. idem facit, inquiens,* Parum

agilis

agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus Thorus, aut mensa negligentius posita, *Lib. vero 3. Nat. quæst. cap. 24. & lib. 4. cap. 8. de miliariorum vsu ad calefaciendam aquam ad potum meminit.*

Plinius eundem vsum frigidi, & calidi sæpè refert, lib. enim 19. cap. 4. inquit,

Hi niues, illi glaciem potant; *Lib. verò 7. cap. 53. calidi potus vsum patefacit dum de Marci Ofilij conuiuio loquitur, hæc inquiens.* Is cum populo admodum placuisset natali die suo, conuiuiumq; haberet, edita cœna calidam potionem in pultario poposcit, simulque personam eius diei acceptam intuẽs, coronam è capite suo in eam transtulit, tali habitu rigens nullo sentiente, donec accubantium proximus tepescere potionem admoneret.

Paulus Iurisconsultus de frigido, & calido potu verba facit, nam L. 21. de auro, & argento legato, de colo niuario agit, de instrumento inquam ad liquandas niues pro potu, sic dicens. In argento potorio vtrum id dumtaxat sit, in quo bibi possit, an etiam, id, quod ad præparationem bibendi comparatum est, veluti colum niuarium, & vrceoli, dubitari potest. sed propius est, vt hæc quoque insint; *L. vero cum delanionis 18. ff. de Instrum. vel Instrum. legato calidæ ad potum loquitur, dicens;* Nec multum refert inter cacabos, & ahenum, quod supra focum pendet; hic aqua ad potandum calefit, in illis pultarium coquitur.

Iuuenalis calidi, & frigidi potus meminit dum Sat. 5. inquit.

Quando vocatus adest calidæ, frigidæq; minister.

Martialis idem facit dum lib. 3. distic. 105. sic canit

Frigida non desit, non deerit calda petenti.

Præterea multa sunt ad manus loca veterum Auctorum,

quæ

quæ vel gelidi, vel calidi, vel temperati potus vſum demonſtrant.

Dion Caſſius plurimis in locis calidæ potionis vſum indicat, lib. enim 59. poſtea quam retulit Caium Caligulam ob mortem Druſillæ ſororis interdixiſſe, ne quis intra dies funeris ipſius aliqua in re lætitiam præſeferret, hæc inquit: Quid tum euenerit, ex hoc vno colligi poteſt, quod quidam ob aquam calidam venditam impietatis reus factus, & à Caio trucidatus fuit: *idque propterea quod calida aqua ad delicioſum potum vẽdebatur. Lib. vero 60. loquens de rebus à Claudio geſtis inter alia multa inquit,* & quia intelligebat nihil profici, ſi qua re vulgò interdiceretur, niſi vita quoque eius quotidiana transformaretur, cauponum Tabernas, in quas coeuntes potabant, demolitus eſt, edixitque ne quis carnem elixam, aut aquam calidam venderet, in quoſdãq; contra delinquentes animaduertit, *& non aliam ob cauſam, niſi vt à luxurioſo potu, quem conſtituebant plurimi in calidæ vſu, abſtinerent, & præterea à peregrinis, & nobilibus vinis, quæ vt potari poſſent per calidam diſſoluenda erant, vt in ſequenti capite demonſtrabimus.*

Ariſtænetus lib. 1. epiſt. 3. temperati potus vſum docet, dum enim loquitur de quodam conuiuio in hortis exhibito, vbi pocula feruentis vini plena per riuulum ferebantur, ſic loquitur, Nam de induſtria prudens pincerna tanto calidius iuſto vinum feruenti Lympha temperauerat, quantum frigidiſsimi tubuli rigor totum refrigerare poſſet poculum, vt nimio ſolum calore per aquæ frigus imminuto, maneret mixtum iuſto temperamine.

Apuleius lib. 2. calidum potum manifeſtat, hæc dicens; Et ecce fotis mea, iam domina cubitum reddita, iacta

proxi-

proximat rosa serta, & rosa soluta in sinu tuberante. Ac me pressim deosculato, & corollis reuincto, ac flore persperso, arripit poculum: ac desuper aqua calida iniecta, porrigit bibam, idque modicum.

Iulius Pollux lib. 9. cap. 6. non solum determinat veteres calidum bibisse, sed ex Philemone refert calidam aquam à Thermopolij institoribus calcho, hoc est minimo quadrantis pretio venditam fuisse.

Ammianus Marcellinus lib. 28. eundem calidum potum repræsentat, scribens, Ampelium Romæ Præfectum, vt gulæ irritamenta, & ganeas tetras in Vrbe corrigeret statuisse, ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neue aquam vulgarium calefaceret quisquam, *nempe ad deliciosum potum, quem antiqui Romani tanti faciebant, vt idem Ammianus hoc eodem libro paulò infra, hæc dixerit:* Ita autem pauci sunt inter eos seueri vindices delictorum, vt si aquam calidam tardius attulerit seruus, trecentis affligi verberibus iuberetur: si hominem spontè occiderit propria, instantibus pluribus vt damnetur, vnus dñs hactenus exclamat, quid faciat maniosus, & nequam?

Cornelius Tacitus lib. 13. calidam potionem testatur, referens Neronis insidias in Britannicum vterinum fratrem, inquit enim; Innoxia adhuc ac præ calida, & libata gustu potio spernebatur, frigida in aqua effunditur venenum, quod ita cunctos eius artus peruasit, vt vox eius, pariter ac spiritus raperetur.

Plautus calido potui Priscos consueuisse, testatur plurimis in locis, in quibus non solum Thermopolij meminit, in quo calida ad potum vendebatur, sed clarè indicat, aliquos in eo calidam bibisse. In curculione enim bibaces Græculos arguens inquit.

Quos

Quos ſemper videas bibentes in Thermopolio,
Vbi quid ſubripuere aperto capitulo, calidũ bibunt
Triſtes, aç ebrioſi incedunt.

In milite autem eumdem calidi potus vſum clarius demoſtrat, dum enim Palæſtrio ſeruus Lucrionem puerum conſeruulum, alioſque ſeruos reprǽhendit, quia clam calidam ſubripuiſſent, ait.

Pal. Procede huc, prompſiſti tu illi vinum? Luc. non prompſi.
Pal. Nec tu bibiſti? Dij me perdant ſi bibi.
Pal. Quid iam? quia enim abſorbui, nam mihi nimius calor comburebat gutturem alij ſunt ebrij.

In Trinummo etiam Thermopolij meminit, ac calidi potus vſum oſtendit dum Staſimum ſeruum inducit ſe ipſum arguentem, quod cum ob calidum potum gulam ferè combuſſiſſet annulum in Thermopolio oblitus reliquerat, ſic loquens.

Ecce hominem Staſime, nihili. ſat in Thermopolio
Condalium es oblitus, poſteaquam thermopotaſti gutturem?
Recipe te, recurre petere te recenti.

Verum in Thermopolio non aquam tantum calidam puram putam, ſed alias quoque potiones dulces, atque calidas vendi ſolitas fuiſſe. locus ille Plauti in Pſeudolo manifeſtè indicare videtur.

Pſ. Quid ſi opus fiet, vt dulce promat indidem, & quid bibet?
Ch. Rogas? murrhinam, paſſum, defrutum, mellinum, mel quoiuſmodi.
Quin in corde inſtruere quondam cœpit Thermopolium.

Præterea calidam & medicatam etiam aquam priſci ad potum

potum parare consueuerunt, Athenæus enim lib. 11. ex Aristotile docet ollis Rhodianis aquam, qua vinum miscebatur, calefieri olim fuisse solitam, iniecta in ea myrra, mastiche, croco, balsamo, armonio, cinamomo, & alijs aromatibus, tum ebrietatis, cum veneris coercendæ gratia.

Forsitan et ad calidam potionem respexit Suetonius, dum cap. 42. Tiberij Cæsaris vitia referens, inquit, In Castris Tiro etiam tum propter nimiam vini auiditatem pro Tiberio Biberius, pro Claudio caldius, pro Nerone Mero vocabatur, *nam caldius nuncupatus fuisse creditur ob calidum potum.*

Varro lib. 4. de lingua latina calidi potus vsum indicat, ijs verbis: Calix à calido, quod in eo calida puls, & calidum eo bibebant.

Martialis multis in locis calidum potum ostendit, & libro primo contra bibacem Sextilianum sic canit.

Iam defecisset portantes calda ministros.
Si non potasses Sextilianè merum.

Idem lib. 8. contra Cecilianum calidæ auidum.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit.
Alget adhuc nudo clausa Culina foco.

Idem lib. 12. Epig. 61. Inter alias causas, ob quas fictilia pocula vitreis, ac christallynis anteposuit, hæc vna fuit, quod calida admodum aqua fictilia non vitientur, inquit enim.

Nullum sollicitant hæc flaue toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Idem in Apophoretis de myrrhato vino

Si calidum potas ardenti myrrha falerno
Conuenit, & melior fit sapor inde mero.

Horatius epist. 2. lib. 2.

Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.

Idem lib. 3. Ode.19.

Quo chium pretio cadum
Mercemur: quis aquam temperet ignibus?

Quo autem ad frigidum potum, siue gelidum ad luxum, plenæ sunt historiæ, & ideo præter ea, quæ superius diximus, nonnulla etiam addam.

Galenus lib.12.de Med.Comp. secundum locos ad capitis dolorem ex frigore narrat Romæ frigidorum fontium, niuisque maximam vbertatem æstate fuisse, quemadmodum etiam Pergami in patria sua, & in pluribus Asiæ, Græciæq. Ciuitatibus: Et quo ad frigidos fontes idem Suetonius testatur loquens de rebus à Claudio gestis. cap.20.inquiens, Claudiæ aquæ, gelidos, ac vberes fontes, quorum alteri cæruleo, alteri Curtio, & Albudino nomen est, simulq; riuum Anienis noui lapideo opere in Vrbem perduxit, diuisitq; in plurimos, & ornatissimos lacus.

Athenæus lib. 11. lautum, ac delitiosum conuiuium describens in Bacchi festo peractum, post multa alia relata, quæ mensæ apposita fuerant, inquit.

Horum in omnium medio castum odorem thus spirat; gelida, dulcis, ac sincera aqua est. *Idem Athenæus lib. 13. ait.*

Niuem autem succussam occultè immiscere vino
Pueris mandat, &c.

Lampridius scribens vitam Heliogabali Romani Imperatoris, inter alia gesta, ait, in viridario domus suæ montem excauasse, in quem hibernas niues, & glaciem ad æstus referigerium reconderet.

Martialis inter alios frequenter admodum gelidum potum patefacit, lib.enim 5.epig.65. sic canit,

Sex-

Sextantes, Calixte duos infunde falerni,
Tu super æstiuas Alcime funde niues

Idem lib.6. Epig.86.in bibentes calidam aquam.

Se tinum,dominæq; niues densiq; trientes
Quando ego vos medico non prohibente bibam?
Stultus,& ingratus nec tanto munere dignus
Qui mauult hæres diuitis esse Midæ
Posſideat Lybicas messes,Hermumq; Tagumq;
Et potet calidam qui mihi laudat aquam.

Idem lib.9. Epig.23.

Nec labris nisi magna meis chrystalla terantur,
Et faciant nigras nostra falerna niues

Idem lib.12. Epig.17.

Ebria setino fit sæpe, & sæpe falerno,
Nec nisi post niueam cæcuba potat aquam.

Et vt ex niue aquam ad potum conficerent prisci, colum, & saccum niuarium habebant, & ideo de colo niuario non solum loquitur Paulus Iuris Consultus, vt superius dictum est, sed Martialis lib. 14. dist. 103. cuius titulus colum niuarium.

Setinos moneo, nostra niue frange trientes,
Pauperiore mero tingere lina potes.

Idem eodem lib.dist.104. cuius titulus saccus niuarius,

Attenuare niues norunt, & lintea nostra,
Frigidior colo non salit vnda tuo.

Et ad niuem potandam certa habebant pocula, quare Atheneus lib.4. ex Anaxandride, inquit.

------------- dotem vero accepiſse duos
Flauorum equorum greges,clypeum aureum,
Phialam lapastam, niui bibendæ guttum.

Habebant enim inter priscos, nobiliores argentea vasa

potoria, tum æstiua, tum etiam hyberna, vt testatur idem Athenæus lib. 6. ex Alexide in Hippiſco, his verbis.

Heus tu puer Strombichides, ne hyberna vaſa argentea
Nobis apponito, ſed æſtiua.

Præterea conquirebant etiam aquam ex frigidiſſimis fontibus, & fluminibus.

Martialis lib. 1. Epig. 50.

Auidam rigens Dircena placabit ſitim,
Et Nemea, quæ vincit niues.

Idem in Xenijs

Non potare niuem, ſed aquam potare rigentem
De niue commenta eſt ingenioſa ſitis.

Horatius Epiſt. 16. lib. 1.

Fons etiam riuo dare nomen idoneus: vt nec
Frigidior Tracham, nec purior ambiat Hebrus.

Nec deſunt aliæ plurimæ antiquorum auctoritates calidi, ac gelidi potus vſum demonſtrantes, ſed cum ſuperius allatæ ſufficere videantur, & gelidus potus non ita, vt calidus controuertatur, non eſt cur alias in medium afferam auctoritates, illud tantum addam gelidum ad delicias ita in vſu fuiſſe apud priſcos, vt niuatis etiam piſcinis æſtate vterentur, vt refert Suetonius de Nerone Claudio Cæſare, cap. 27.

Patet itaq; ex dictis priſcos & calido, & gelido potu ad delicias conſueuiſſe, & licet ob exceſſum, tum in calido, cùm in frigido potu valde errauerint, tamen calidum & frigidum potum non penitus abs re in vſu fuiſſe exiſtimandum videtur, nam Plato lib. 4. de Repub. inquit, cupiditatem in animo veluti quandam ſitim eſſe, ac ſitim quidem potionis calidæ, vel frigidae eſſe appetentiam, & vel multi,

ti, vel pauci cuiusuis potus. Itaque adiuncta siti caliditas si fuerit, frigidi potus desiderium inuehit; sin frigiditas, calidi. Si quis verò ob praesentis humoris copiam multum sitit; potionem largiorem is cupiet, sin paucus humor adest exignam poscet. Sitis autem prorsus est appetitus natura insitus potionis, vt fames cibi. *Ex his Platonis verbis dilucidè apparet sitim nihil aliud esse, quam appetitum potionis, quæ potio calida, vel frigida esse debet, prout siti calor, vel frigus annectitur, cum itaque hyeme siti frigiditas annexa sit, æstate caliditas, vtique hyeme sitis calidæ potionis, æstate frigidæ appetitus erit, quod autem hyeme calida potio esse debeat, æstate frigida refert etiam Athenæus ex Pleistonico lib. 2. vbi inter alia, quæ in commessationibus seruanda præcipit ad sanitatem tuẽdam, salutare præcipuè, inquit, aquam præbibere vere, ac hyeme quam calidissimam, æstate frigidam, ne exoluatur stomachus, & eam quidem copia mediocrem. Sed quid Priscos Auctores testes excitare opus est, quoad vsum frigidi potus æstate, calidi hyeme, si hac etiam nostra tempestate plerique hominum æstate ob calidius ambiens rigentem potionem exquirunt, hyeme vero non pauci sunt, qui ob frigidius ambiens in frigidioribus præsertim regionibus eam igne calefacere student, & non sine ratione, Ars enim ex Aristotile 2. Phisic. tex. 22. naturam imitari debet, quæ cum æstiuo tempore frigidas satis aquas largiatur, hyeme respectiuè calidas, vtique æstate frigidum potum conuenire, hyeme calidum videtur, licet aqua cuiuscunq; fontis, cisternæ, putei, & fluminis si absolutè loqui velimus, hyeme tepens potius dici debeat, quam calida, & sic Platonem intelligendũ existimarẽ, dum dixit sitim esse appetitum calidæ, vel frigidæ potionis, calidae, inquam, respectu frigidae,*

cum enim animantium corpora hyemali tempore satis, superq; ratione frigidae inspirationis, ac frigidioris ambientis refrigerentur, certè nihil opus erit frigido potu, quis enim tam imprudens erit, vt si hyeme flante aquilone siti correptus fuerit ob frigidius, ac siccius ambiens, affirmare audeat frigidam potionem ad sitim extinguendam rationi consonam esse, ac salubrem? vel quis aestiuo tempore caliditate, ac siccitate vigente sitiens ob calidius, & siccius ambiens, calidam potionem sibi conducere affirmet? si frigidum calido, & calidum frigido expellitur, ita vt cum hyeme siti frigiditas adiuncta sit, aestate caliditas, vtique hyeme calida potio, aestate frigida conducet, vt Plato inquit, licet etiam illa Platonis verba, sitim esse appetitum calidae vel frigidae potionis, prout siti annexa est, vel caliditas, vel frigiditas, intelligi fortasse possint, vt potio potentialiter frigida, vel calida esse debeat, prout siti annexa est, vel caliditas, vel frigiditas, ita vt si siti caliditas iuncta sit, frigida in potentia potio, si frigiditas, calida requiratur, iuxta Polybij Hippocratis discipuli sententiam lib. de salubri dicta in principio, vbi praecipit hyeme quam parcissimè bibendum esse, ac potum vinum quam meracissimum esse debere, vt corpus siccum ac calidum reddatur, aestate vero potum aquosum, ac multum praebendum esse, vt frigidum sit corpus, & molle, tempus enim inquit Polybus, calidum est, & siccum, & facit corpora aestuosa, ac squallida.

Constat itaque ex dictis, priscos valde frigido siue gelido potu, calido, ac temperato vsos esse, & gelido quidem, & calido ad luxum, ac dilicias.


Nec desunt hodie integrae Nationes, quae ad sanitatem tuendam quolibet anni tempore calidum, & frigidum bibunt,

bunt, nempè Sinenses, ac Iaponij, vt à Legatis Regis Voxu Iaponij ad Paulum V. audiui anno à Natiuitate Christi 1615. & eiusdem Pauli V. Pontificatus anno xj. Huiusmodi enim Nationes cum duo potus genera habeant, alterum quod ex oryza conficitur, rubei coloris, quo vini loco in mensis vtuntur, et à Sinensibus Chiu, à Iaponijs Sacchè nuncupatur; Alterum verò quod extra mensas, vt plurimum adhiberi consuetum est, & ex folijs cuiusdam plantae Chià nunçupatae conficitur, quae folia in tenuissimum puluerem redacta Sinenses in petijs recondētes, & in aqua ebullire facientes, Iaponij in calidam admodū aquā dictorum foliorū puluerem inspergētes, supradictam potionem Chia à plantae nomine nuncupatam conficiunt, quae vt aiunt, viridis est coloris, & maximam medicamenti vim habet, plurimum enim refrigerat, capiti conducit, vires consolidat, & vitam sine vllo ferme languore protrahere satis valet; Ex his duabus potionibus, primam potionem, quae vt diximus loco vini hauritur, & Chiu, & Sacchè appellatur, plerique hominum aestate tum in Sinarum regione, cùm in Iaponia arte frigidam bibunt, & Sinenses quidem niue (ad quem vsum in magnis Vrbibus niues adseruari solent) Iaponij autem gelida aqua refrigerare curant, cum illa Regio & gelidis fontibus, & puteis abundet. Hyeme vero sunt, & qui frigidam dictam potionem, nulla scilicet arte calefactam, & qui calidam (licet valde pauci) igne scilicet calefactam bibant, & propterea eo tempore, & calidam, & frigidam in mensis apponere mos est. Alio vero potionis genere, nempe Chia, quolibet anni tempore tam Sinenses, quam Iaponij feruenti, siue praecalida vtuntur, idque propterea quod huiusmodi potio non solum potentia est valde frigida, & nisi calida bibatur eius sapor, ac odor vix percipitur, vt

referuut, sed etiam quia, ut superius dictum est vim medicamenti habet. Mirum itaque non est si ex hac potione feruenti, siue praecalida quolibet anni tempore adhiberi solita, Historiarum Indicarum Scriptores decepti affirmare ausi sunt, Sinenses, ac Iaponios calidum semper bibere, non autem frigidum, cum tamen id à veritate alienum esse Iaponiorum quoque legatorum viuendi ratio Romæ ab omnibus obseruata facilè demonstrauerit, qui dum à Summo Pontifice Paulo V. in Cœnobio Arae Cœli per plures menses, lautis, opiparisque cibis, ac potionibus refecti fuerunt, adhibitis etiam ad Ministerium Pontificijs cubicularijs, ferè semper potu niue refrigerato vsi sunt, licet nec tempus quo Romae commorati fuere aestiuum esset, sed partim autumnale, partim hyemale, & semper valetudinem ab omni vitio, morboue liberam, & incolumem seruarunt, quinimò pinguiores, ac vegetiores euaserunt. Nec sit qui dicat, id à Iaponijs factum fuisse, quia consueta Instrumenta ad calefaciendum potum non haberent, nam id falsum esse constanter asseuero, cum ipse meis oculis viderim instrumenta in hunc vsum parata, quae propterea in illis Regionibus hyemali tempore aliquibus necessaria esse puto, quia cum frigidissimum sit ambiens, ac potio inter prandendum, ac cœnandum plurimum refrigerari possit, delicatiores, seniores, ac imbecilliores frigidiori potu laedi satis possunt, vt in alijs etiam frigidioribus regionibus contingere solet.

Qui

Qui potus apud Priſcos magis communis fuerit. An frigidus, an calidus, an temperatus. Cap. III.



VM ex ijs, quæ in praecedenti capite diximus ſatis ſuperq; notum ſit Priſcos frigido, calido, ac temperato potu vſos eſſe, inueſtigandum modo videtur, qui nam bibendi vſus apud eos magis communis fuerit. qua in re ita ſentiendum exiſtimo, in toto terrarum orbe valde paucos, & vt plurimum hyeme ad delicias calidum bibiſſe, plurimos, & præſertim nobiles, ac Principes gelidum potum quolibet anni tempore, ſed præcipuè in ſummo æſtu ob luxum ſequutos fuiſſe; maximè enim ſecundum naturam eſt frigidum bibere, & nullum animal calidum potum ſequitur, vt inquit Plinius lib. 28. cap. 4., communem verò bibendi vſum fuiſſe credo, vt natura ſubminiſtrat, eique placet totius anni curſu, vt hac etiam noſtra tempeſtate contingit; ex Ariſt. enim lib. 1. de cœlo text. 22. et de lib. 1. Meteor. ſumm. prima, c. 3. neque ſemel, neque bis *(vt eius verbis vtar)* ſed infinities oportet putare eaſdem peruenire opiniones ad nos, *quis enim ignorat hac noſtra tempeſtate nonnullos, ſed valde paucos calidum bibere, plurimos qui frigidum, vulgare autem eſſe potum ſumere, vt naturae placet, quem bibendi modum nec à ratione alienum aliquis exiſtimare debet, cum natura quolibet tempore ſufficientem potum ad ſitim extinguendam abſque vlla noxa largiatur. Nec propterea*

quod

quod apud Veteres Auctores non minus frequenter calidæ potionis vsus, quam frigidæ legatur, aliquis sibi persuadere debet Priscos æquè frigida, & calida potione ad delicias vsos fuisse, quia veteres Auctores calidæ mentionem faciunt non semper ad calidum potum, vt aliqui falsò existimarunt, sed quatuor de causis.

Prima, ac potissima causa videtur fuisse ad potus præparationem, nempè ad attenuanda, et liquefacienda vina, quæ concreta erant ac solida, quod vt planum faciam, aliqua præmittenda sunt.

Primo apud ditiores, ac nobiliores Romanos eum maxime luxum viguisse referente Plinio lib. 19. cap. 4. vt omnibus in rebus à pauperibus, ac plebeis vi pecuniæ differre voluerint, & quoad potum ex eodem Plinio ibidem hæc vigebat consuetudo, vt vina inueterarentur, saccisq; castrarentur, nec cuiquam adeo longa esset vita, vt non ante se genita vina potaret.

Notandum 2. Priscos ante annum ab Vrbe condita 633. vnum tantum genus cellæ vinariæ habuisse in plano Terræ situm, ac Septentrioni obuersum, quod vel tectum habebat, vel sine tecto erat, vina enim valida sub dio cuilibet temporis iniuriæ exponebant, mediocria sub tecto, paucifera demissis sub terram dolijs adseruare nitebantur, vt omnes qui de re rustica scripsere testantur, & præterea Plinius lib. 14. cap. 21. A dicto autem anno vt idem Plinius eodem libro cap. 14. refert, cæperunt diffundere vina, sic enim eo loci loquitur, Apothecas fuisse, ac diffundi solita vina anno 633. Vrbis apparet indubitato opimiani vini argumento intelligente iam suum bonum Italia. Nondum tamen ista genera in claritate erant. Itaque omnia tunc genita vnum habent Consulis nomen. Sic quoque postea diù trans-

transmarina in auctoritate fuerunt, & ad auos vsque nostros: quin & falerno iam reperto, sicut apparet ex illo comico versu.

Quinque Thasij vini inde depromam, falerni bina.

Notandum tertio. diffundere vina nihil aliud significare, quam transuasare, vt sic dicam, hoc est de dolijs, aut serijs in amphoras & cados infundere, vina quippe antiqui in dolijs inueterascere non sinebant, sed post certum temporis interuallum, præsertim verò post eorum efferuescentiam in amphoras, & cados, vt præcocem acquirerent maturitatem & firmiora fierent diffundebant, postea verò in Apothecis seruabant, quæ græce οἰνοπώλια *dicuntur.*

Notandum quarto. Apothecas calida admodum loca fuisse, & ad meridiem exposita, quæ fumaria etiam, & calidae cellae vinariæ nuncupabantur, Martialis enim lib. x. epigr. 36. fumaria vocat, his carminibus.

Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus.

Galenus lib. 1. de Antidotis cap. 3. supradicta loca calidas cellas vinarias appellat, & adeo necessarias existimauit, vt eas construendi modum docuerit, his verbis. Quomodo autem vnusquisq; cellam vinariam calidam sibi comparare possit, iam exponam. Apud nos omnibus in agris atria magna extruuntur, quæ focum, in quo ignis accenditur in medio habent: nec procul inde iumentorum præsepia sunt, vel vtraque ex parte dextera & sinistra, vel ex altera saltem. Furni autem foco iuncti sunt ab anteriori parte, quæ ad fores totius domus spectat. Tales itaque sunt domus omnes in agris, etiam si frugalius ædificatæ sint. Namque meliori cura fabricatæ sunt, ex hedram habent è regione ianuæ sitam ad parietem qui

intus

intus eſt, & vtrinque cubicula: quibus aliæ cellæ, quemadmodum, & in multis cauponis in circuitu trium & ſæpè quatnor atrij parietum diſpoſitæ ſuperincumbunt.

Addit etiam Galenus, & in Italia eundem ſeruandi vini morem in vſu fuiſſe cùm in agro Neapolitano, tum alijs in locis.

Adeo vt ex dictis ſatis pateat, ab anno Vrbis 633. Priſcos duo cellae vinariae genera ad vini conſeruationem habuiſſe, Alterum frigidum Septentrioni expoſitum, Alterum calidum ad meridiem ſpectans, hinc Gal. lib. 1. de Antidotis cap. 3. ac libello de vinis, inquit, locus ſanè in quo reponitur vinum, multum ad eius alterationem facit, In principijs enim optimus eſt, frigidus, poſtea verò calidus, nam tepidus facilè acida reddit vina. Quando vero vina in frigido loco repoſita, duobus, tribuſue annis perdurauerint, exinde calefieri admodum deſiderant, nec amplius locum tepidum, ac temperatum requirunt. *Columella eandem cellae vinariae diſtinctionem demonſtrat lib. 1. cap. 6. diuidens fructuariam Villae partem in cellam olearriam, Torculariam, cellam vinariam, defructuariam, faenilia, paleariaq; & Apothecas, & horrea. Nec alia ratione calidas cellas vinarias inuentas fuiſſe exiſtimandum eſt, niſi vt vina veteraſcerent, diù ſeruarentur, ac ſuauiora fierent, quod prius non contingebat, cum frigida cella vinaria diu ea ſeruare non poſſet, praeſertim ſi vina valida fuiſſent, quare diffundi vina cœperunt, eaque ratione in tempus adeo longum ſeruabantur, vt nemo ex nobilibus Romanis adeo ſenex eſſet, qui vina ante ſe genita non biberet; vinorum enim vetuſtas ab eo tempore citra ſemper apud eos ita in pretio fuit, vt quo magis vetuſtiora, ac antiquiora vina eſſent, eo magis placerent, quae conſuetudo*

cum temporis diuturnitate exoleuerit, & nonnullis ab hinc sæculis subterraneæ cellæ vinariæ excogitatæ fuerint, eæque dumtaxat hac nostra tempestate in vsu sint, hinc est, quod pleraque vina vix integrum annum attingunt, quod acescunt, eo enim tempore, quo frigidum expeterent ab initio scilicet, calidis vt plurimum in locis reponuntur subterraneis inquam in cellis, quarum vsum Priscos non habuisse, non solum notum est, ex eo quia Auctores, qui tunc de re rustica scripsere, nempe M. Cato, M. Varro, Colum, Plinius, Palladius, ac reliqui numquam de huiusmodi subterraneis cellis verba fecerunt, sed de ijs dumtaxat, quæ in plano terræ sitæ erant, frigidis inquam cellis vinarijs, ac Apothecis, calidis scilicet cellis, sed etiam hinc potissimum notum est, quod veteres dolia illa quæ imbecillo vino repleta essent, infodiebant, quæ vero validum vinum continebant, humi exponebant, quod clare indicat Plinius lib. 14. cap. 21. his verbis. imbecilla vina demissis in terram dolijs seruanda, valida expositis. *Itaque si subterraneæ cellæ in vsu fuissent, imbecilla vina infodere opus non fuisset; patet itaque ex dictis, quam diuersus fuerit antiquorum mos in vinorum conseruatione, ab eo qui hodie viget.*

Circa quod, quia aliqui iure merito dubitare possent, quomodo contingat, vt vina calidis in cellis non acescant, sed firmiora fiant, diuque seruentur, cum notum sit vere, & æstate pleraque vina ob externum calorem acescere, eosque qui de re rustica scripsere dolia in cellis ad Aquilonē expositis detinenda esse praecipere, tanquam frigus vinorum qualitatem seruet, mutet autem caliditas, quod certe à veritate alienum non videtur, quinimo experientia docet, vina in meridianis, & soli expositis locis acescere, hinc non defuerunt eximij medici Galeni tempore, qui ob superius allatas

tas causas existimarunt acidum saporem à calore proueninire, vt ipse Galenus refert lib. 4. de simp. med. facultatibus cap. 13. Aliqui vero scire cuperent locum dictarum calidarum cellarum, an scilicet in humili, vel editiori loco construerentur, propterea ijs satisfacere operepraetium duxi.

Huic igitur difficultati respondeo vina in duplici differentia esse, quaedam enim oligophora nempe tenuia, seu paucifera sunt, quaedam poliphora, vinosa inquam, seu multifera, vina oligophora, siue paucifera, cum natura frigida sint, & inualida, calorem non tolerant, sed acida fiunt, si is calor extrinsecus immodicus superuenit, vina autem vinosa, aut multifera, quibus antiqui vtebantur, à calore, sole inquam, fumo, flammis, calidisq; cellis perficiebantur, quod Galenus lib. supracitato cap. 14. optimè demonstrat, necnon etiam quaestioni satisfacit, his verbis. Persimile enim quid vinis accidit, quæ natura frigidiora aquacioraq; sunt, quale flammis exiguis, & imbecillis: Quippe si eas ad solem feruidum exponas, aut prorsus obscurari, aut denique etiam extingui conspicies: sic quoque si ardentem lucernam, aut iuxta flammam vehementem, magnãq; deponas, aut ad solem feruidum exponas, marcescere vtique, aut dissipari protinus videbis: quin etiam si validum ventum facias infirmæ paruæq; flammæ, citius eam extinxeris, quam inauxeris: Natura enim infirma validum neque motum, neque calorem sustinet, verum ab ijs dissipatur potius, quàm augeatur. Quanquam ex industria multis in locis vina & commouent, & transportant, sicuti sanè & in solem efferunt, atque calefaciunt, vt etiam quædam insuauia fiant, fumi contrahentia qualitatem. Apud nos sanè in Asia in tecta ædium æstate omne propè in lagenas transfusum imponunt, postea in

ædita

edita cubicula, ſub quibus inferne multa flamma luceat, tranſportant. In ſumma autem ad meridiem, ſolemq; cellas obuertunt, in quibus & citius matureſcant, & potui idonea euadant: nam quod multo tempore alijs, hoc ijs, quæ ſic excalefacta ſunt, breuiſsimo aduenit. Porrò nihil mirum eſt, qui de colendis agris memoriæ prodiderunt, ob eam, quam de ſua Regione habent experientiam, audacius, atque inconſideratius de vinis omnibus definiuiſſe. At Theophraſtus, atq; Ariſtotiles experientiam etiam vlteriorem nacti, & in præſcrutandis naturæ rationibus exercitatiores, ac diligentius omnia diſtinguentes, cùm multa huiuſmodi, tum vero de vinis nos docuerunt, quod ſimile illis, atque corporibus noſtris accidat: quid enim? non & ipſa corpora prout aut robuſta ſunt, aut infirma, ab ijſdem tum iuuari, tum lædi conſpicimus? Etenim vt exercitia valida, & ſol calida atq; robuſta corpora etiam validiora efficiunt: proſternunt autem & digerunt, refrigerantq; quæ non ſunt huiuſmodi: ſic vina natura calida motus velut ventilans, ſol excalefaciens, flammæq; iuxta ardentes, celerius cõcoquunt; quę verò frigidiora ſunt, & dilutiora, eorum arguunt imbecillitatem, celeriuſque perpeti cogunt, quæ alioqui poſt pasſura eſſent: Quippe cum ita comparatum ſit., vt res quælibet in propria ſeruetur natura calore proprio: corrumpatur autem ab immoderatione extrinſeca, nempe caloris alieni, aut frigoris exuberantia. Atque quod ab vtroque efficitur, vnum eſt, non tamen vnus generationis modus: quare non æque idiotis omnibus facilè cognitu eſt hæc corruptionis ratio. *Haec omnia Galenus.*

Ex his Galeni verbis ſatis ſuperq; dubitatio ſoluta videtur, & quaeſtioni ſatisfactum, oligophora enim vina ob *exter-*

externum calorem facilè acescunt, poliphora autem Caecubum scilicet Falernum, Massicum, Surrentinum, Setinũ, Thasium, Chium, Lesbium, Mammertinum, & reliqua huiusmodi nobilia vina, quibus antiqui in suis cœnis vtebantur, in calidis cubiculis, & à sole, igne, & flammis precocem maturitatem acquirunt, diuque seruantur, & huiusmodi calida cubicula in editiori loco posita fuisse, iam ex Galeno constat, cui Plinius etiam adstipulatur lib. 2. epist. 17. qua Villam suam Laurentinum describit, sic inquiens, est & alia Turris, in hac cubiculum, in quo sol nascitur, conditurq; lata post apotheca, & horreum: sub hoc Triclinium, &c.

Hoc igitur est quod Horatius lib. 3. Ode. 21. Amphoram alloquens aiebat.

Descende Coruino iubente.

Indubitatum itaque remanet, vina apud antiquos in cadis, & Amphoris optime picatis iam diffusa, calidis, editioribusq; in cellis ad meridiem expositis asseruata fuisse, vt veterascerent, & ex huiusmodi vinis aliqua, vt inquit Plinius lib. 14. c. 18. in dictis apothecis canis ortu mutantur, postea ipsis restituuntur, sic & ea, quæ mari trãsportantur ob fluctuum iactationem tantum vetustatis acquirunt, quantum habuerint. *quaedam etiam vina ex eodem Plinio libro supracitato cap. 8. & alibi, cadis soli expositis inueterabantur.*

Sed ante dictam vinorum diffusionem ea prius condire consueuerant, vt videre est apud antiquos omnes Auctores, qui de re rustica scripsere, nempe gypso, chalce, argilla, marmore, sale, rabulana pice, resina, prioris vini fece, sapa, aqua marina, melle, myrrha, aliisq; aromatibus, siue herbis in puluerem redactis, & vt Plinius refert lib. 14. cap. 19. Africa gypso vinorum asperitatem mitigabant, nec non ali-

quibus

quibus sui partibus chalce; Græcia argilla, aut marmore, aut sale, aut mari lenitatem excitabat, Italiæ pars aliqua rabulana pice: ac resina condire musta vulgare est ei, Prouincijsque finitimis. Nonnunquam prioris vini fæce, acetoue condiunt. Necnon & ex ipso musto fiunt medicamina. *Hæc Plinius.*

Et conditis iam vinis, vt superius dictum est, non statim diffundebant, sed post aliquod temporis interuallum secundum Regionum varietatem, ac vini naturam, vt plurimum vero post vinorum omnimodam efferuescentiam, vel tempore veris, vel post duos, vel tres annos, vt ex Galeno superius dictum fuit. Columella autem, quo ad tempus diffundendi vina. lib. 12. cap. 28. hæc scribit, omne vinum cum condieris, nolito statim diffundere, sed finito in dolijs quiescere. postea vero cum de dolijs, aut de serijs diffundere voles, vere florente rosa defecatum quam limpidissimum in vasa bene picata, & pura transferto, si in vetustatem seruare voles, in cado duarum vrnarum quam optimi vini sextarium, aut fæcis generosæ recentis sextarios tres addito: aut si vasa recentia ex quibus vinum exemptum sit, habebis, in ea confundito. si horum quid feceris, multo melius, & firmius erit vinum, *hæc Columella, itaut ad centesimum annum, & vltra peruenire posset, nec huiusmodi vinum sic diffusum ex cadis, ac amphoris vnquam transferri consuetum erat, donec vsus causa promeretur, vel in publicas Tabernas in eisdem vasis ad venditionem trasportarentur, quarum Tabernarum in omnibus magnis Vrbibus & Romæ præsertim tanta fuit multitudo, vt Suetonius inter res gestas à Claudio Cæsare cap. 40. hæc referat:* Descripsit abundantiam veterum Tabernarum, vnde solitus esset vinum olim, & ipse pete-

re. *verba autem*, vetetum tabernarum, *ita intelligenda esse existimo quod scilicet in ipsis vetusta, ac nobilia vina in cadis & amphoris venderentur, dicuntur etiam, siue dicebantur veteres Tabernæ ad earum Tabernarum differentiam, in quibus nouella ac fluxilia vina doliaria inquam ad plebis vsum seruabantur, & nobilia illa vina Romam singulis annis ex omnibus mundi Prouincijs comportabantur, vt nunc etiam mos est; Tabernæ autem in quibus vendebantur, vel Chiæ, vel Lesbiæ, vel alio nomine nuncupabantur, prout diuersa vina in eis recondita essent, hinc est, quod inter veteres Auctores, apud Varronem Apothecæ Chiæ leguntur, in eius inquam fragmentis apud Nonium in Matella, habentur enim hæc verba.* Varro Endymionibus.

Diuitum Apothecas Chias ad commuuem reuocat matellam.

Ex dictis itaque mirum non est si veteres Auctores, tum Poetæ, cum alij, sæpe de diffusis vinis, ac fumo inueteratis verba faciunt.

Horatius epist. 5. lib. 1.

Vina bibes iterum Tauro diffusa, &c.

Idest Tauro consule inueterari cœpta.

Iuuenalis Sat. 5.

Ipse capillato diffusum Consule potat.

Ouidius 5. fastorum,

Quæque puer quondam primis diffuderat annis,
Prompsit fumoso condita vino cado.

De huiusmodi diffusis vinis loquitur etiam Cato de re rustica plurimis in locis, præsertim vero cap. 105. & 113. Colum. lib. supracitato, & alibi sæpe, Seneca lib. 4. Nat. qu. circa finem; Cicero lib. de finibus, hæc inquiens: Quibus vinum

num diffusum è pleno sit œnophoro, vt ait Lucilius, cui nihil dempserit nix, & saccus abstulerit.

Iuris consulti etiam de diffuso vino in amphoris, & cadis loquuntur, inter quos Proculus L. cum vinum de tritico legato, Cum vinum, *inquit,* hæres dare damnatus est, quod in amphoris, seu cadis diffusum est, dari debet, etiam si vasorum mentio facta non est, *& L. vinum eod. tit.* illud verum esse puto, cui vinum legatum cum vasis erit, ei amphoras, cados, in quibus vina diffusa seruamus, legatos esse. Vinum enim in amphoras, & cados hac mente diffundimus, vt in his sit donec vsus causa promatur, & scilicet id vendimus cum his amphoris, & cadis, in dolia autem alia mente conijcimus, vt ex his postea in amphoras & cados diffundamus, vel sine ipsis dolijs veneat, *& huiusmodi vinum sic in amphoris diffusum idē Proculus L. fin. in fin. de tritico legato, vinum amphorarium appellauit, his verbis.* Quod si ita esset legatum vinum amphorarium, Amineum, Græcum, & dulcia omnia, &c.

Diffusi vini meminit etiam Hippocrates lib. de Affectionibus, num. 45. inquiens: vinum diffusum, ac refrigeratum, & excolatum tenuius fit, ac debilius. *Ex quo patet, apud Græcos multò prius, quàm apud Latinos vinum diffundendi consuetudinem viguisse. Hæc de diffusis vinis.*

De vinis autem fumo inueteratis sæpè apud eosdem Auctores est mentio. Horatius lib. 3. Ode. 8.

Hic dies, anno redeunte fœstus,
Corticem adstrictum pice dimouebit
Amphoræ fumum bibere institutæ,
Consule Tullo.

Iuuenalis sat. 5.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de

Setinis, cuius patriam, titulumq; senectus
Deleuit, multa veteris fuligine testæ.

Tibullus lib.2.elig.1.

Nunc mihi fumosos veteris proferte falernos
Consulis, & Chio soluite vincla cado.

Per fumosos enim falernos intelligit diu fumo inueteratos. Statius lib.4. Siluarum

Albanoq; cadum sordentem promere fumo.

Martialis lib.1.Epig.80.

Vel cocta fumis musta Massilianis

Idem lib.12.Epig.84.

Fumosæ feret ipse tropin de fece lagenæ,

Idem lib.13.Epig.12.

Cum tua centenos expugnat sportula Ciues,
Fumea Massilia ponere vina potes.

Idem lib. 14.Epig.118.

Masslíliæ fumum miscere niualibus vndis.

Athenæus lib.6.dipnos

Iuppiter vero nullo fumo condito vino pluet, & è
dolio ministrabit.

Idem lib.14.

Vinũ tibi vernũ, album, dulce, lene, fumo inueteratũ.

Plinius huius vini meminit lib.14. c.6. & lib.23.cap.1. licet insaluberrimum esse dicat.

Galenus etiam, Aristotiles, ac alij de vinis fumo inueteratis agunt, vt inferius, dum de istorum vinorum crassitie sermo erit, demonstrabimus:

Et huiusmodi fumosa vina, idest fumo in Apothecis, siue calidis cellis inueterata, quo magis vetustiora erant, eo etiam pretiosiora existimabantur, & propterea apud priscos omnes Auctores, dum de lautis, & luxuosis cœnis, & conui-

conuiuijs agitur, ac de natalium celebratione, vt illis temporibus mos erat, semper vætusta, & antiquissima vina commemorantur, eaque nobilia, generosa, seuera, & obliuiosa nominantur, obliuiosa inquam, quod curas ademen-tia malorum obliuionem inducerent. Vnde Martialis lib. 8. Epig. 77.

Candida nigrescant vetulo cristalla falerno.

Idem lib. 13. Distic. 110.

De Suessanis venerunt Massica prælis,
Condita quo quæris Consule? nullus erat.

Idem eod. lib. Distic. 111.

Pendula Pomptinos, quæ spectat Setia campos
Exigua vetulos misit ab vrbe cados.

Idem eod. lib. Dist. 112.

Hæc fundana tulit fœlix autumnus Opimi,
Expressit multum Consul, & ipse bibit.

Per fundana vina intelligit Opimiana orta Fundis, fœlici autumno Consulatus Opimij, & ducentorum ferè annorum, vt infra dicetur, nam vini ætas à Consulibus numerabatur, atque consules vino nomen, & titulum dabant, teste Plinio lib. 14. cap. 13. Hinc Cicero in Bruto scribit: vt si quis falerno vino delectetur, sed eo nec ita nouo, vt proximis consulibus natum velit: nec rursus ita veteri, vt Opimium, aut Anitium Cons. quærat.

Idem Martialis eod. lib. Dist. 119.

De Spoletinis, quæ sunt cariosa lagenis
Malueris, quam si musta falerna bibas.

Idem eod. lib. dist. 116.

Amphora Nestorea tibi mamertina senecta
Si detur, quoduis nomen habere potest.

Horatius lib. 1. Ode. 1.

Eſt qui nec veteris pocula maſſici, &c.

Idem ſat.3.lib.2.

Si poſitis intus Chij, veteriſq. falerni
Mille cadis.

Idem Sat.8.lib.2.

Cæcuba vina ferens, Alcon, Chium, Maris expers
Hic Herus: Albanum Mecænas, ſiue falernum
Te magis appoſitis delectes, habemus vtrumque.

Quæ omnia vina vetuſtiſſima erant.

Idem lib.3.Ode.21.

O, nata mecum Conſule Manlio, &c.
Quocunq; lectum nomine Maſsicum
Seruas; moueri digna bono die:
Deſcende, Coruino iubente,
Promere languidiora vina.

Languidiora inquit vina, quia ob vetuſtatem adeo lenta, & craſſa euaſerant, vt è teſta vix depromi, aut hauriri poſſent.

Idem lib.1.Ode.27.

Vultis ſeueri me quoque ſumere
Partem falerni.

Seuerum falernum vocat Horatius propter eius magnitudinem, quam vetuſtate acquiſiuerat, & alibi vocat ſuperbum, indomitum, generoſum, quibus etiam præconijs appellare conſueuerunt veteres cæcubum.

Idem lib.Epodon Ode 9.

Quando repoſtum cæcubum ad feſtas dapes,
Victore lætus Cæſare
Tecum ſub alta (ſic Ioui gratum) domo
Beate Mecenas bibam.

Per Cæcubum ad feſtas dapes repoſitum Horatius, et vetuſtiſ-

tuſtiſſimum, & modis omnibus optimæ notæ vinum ſignificat, tantaque victoria dignum.

Tibullus lib.2. Elig.1.

Temperat annoſum martia lympha merum.

Athenæus ex Archeſtrato lib.1. inquit

Eſt porro Thaſium generoſum, & ſuaue bibenti,
Quod multis annis molliuit tarda ſenectus.

Idem ex Alexide lib.2. ait

Vino nihil eſt hominis natura ſimilis:
Seneſcens ille odioſus eſt,
Vini autem vetuſtiſsimi maxima eſt gratia.

Et vt ſummatim dicam paſſim apud priſcos Auctores, dum de vinis agitur, vetuſta vina fumo inquam, & quandoque etiam ſole inueterata extolluntur, eaque nobilia, & clara dicuntur, & non ſolum vina, ſed vuam etiam fumo inueterabant, propterea Horatius Sat.4.lib.2. ſic loquitur.

Rectius Albanam fumo duraueris vuam.

Plinius lib.14.cap.1. de vuis loquens, ait, alijs gratiam qui & vinis fumus affert fabrilis, ijſque gloriam præcipuam in fornacibus Africæ Tiberij Cæſaris auctoritas fecit.

Cum itaque priſci, præſertim vero nobiles vetuſtatem in vinis deſiderarent, & vt plurimum vetuſtiſsima vina potarent nempè Maronea, Pramnia, Cæcuba, Falerna, Chia, Taſia, Lesbia, vt huiuſmodi alia diu fumo in Apothecis inueterata, neceſſe erat, vt huiuſmodi vina ob nimiam vetuſtatem craſſeſcerent, & hinc calida aqua ad eorum dilutionem, ac attenuationem requirebatur, non autem frigida, nam à frigida craſsiora proculdubio reddita fuiſſent. Hoc igitur eſt, quod dum de antiquorum cœnis agitur, calida tam ſæpè nominatur ad diluenda ſcilicet, atque attenuanda craſ-

ſa vina, cum id per frigidam aſsequi non poſsent, non autem ſemper ad calidum potum, vt ſuperius dictum fuit, & infra clarius eluceſcet, ad quorum diffuſorum vinorum differentiam, alia vina doliaria, & fluxilia noua ſcilicet nuncupabantur, vt cenſuit, & optime Turnebus lib. 1. cap. 1. quare Proculus Iuriſconſultus l. vinum §. ego ff. de trit. vino, & oleo legato, Ego, *inquit,* etſi dolia in vaſis vinarijs non ſunt: tamen non concederem Trebatio, quod in dolijs eſſet, id eſt quod in vaſis non eſſet, legatum: Illud verum eſſe puto, cui vinum legatum cum vaſis, erit: ei amphoras, & cados, in quibus vina diffuſa ſeruamus legatos eſſe, *huiuſmodi vina Cicero in Bruto de dolio appellat, dum ſic loquitur:* Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is de dolio potare velit: de dolio ſibi hauriendum putet? *de fluxili autem vino teſtatur Athenæus ex Philoxeno libro ſecundo inquiens:* fluxile vinum omniſarijs vocibus loquax. *Huiuſmodi autem doliaria, & fluxilia vina apud priſcos noua admodum erant, & dura, cum eam vetuſtatem in apothecis non aquiſiuiſſent, quæ diffuſo vino ſuauitatem, & maturitatem afferre ſolebant, & propterea minimi etiam erãt pretij, plebiq; inſeruiebant.*

Quod autem vina vetuſtate craſſeſcerent, & ad quam craſsitiem deuenirent, docet Plinius lib. 14. cap. 4. hæc dicens, Anno fuit omnium generum bonitas L. Opimio Conſule, cum C. Gracchus Tribunus plebis ſeditionibus agitatis interemptus, ea cœli temperies fulſit, quam cocturam vocant, ſolis opere, natali Vrbis 634. durantque adhuc vina ducentis ferè annis, iam in ſpeciem redacta mellis aſperi, etenim hæc natura vinis in vetuſtate eſt: nec potari per ſe queunt ſi non peruincat aqua, vſque in amaritudinem carie indomita, *hoc idem docet lib. 23.*

cap. 1.

cap. 1. dicens, quo generosius vinum est, hoc magis vetustate crassescit. *Galenus idem testatur plurimis in locis, & præcipue 12. Methodi cap. 4. vbi de vinis loquens hæc habet*, quotquot autem ex ipsis calidissima sunt, omnia certè fulua sunt, eiusmodi in Italia est cæcubum. Quod etiam vnum quoddam genus eiusmodi vinorum ab initio, sicut aliqui putant, non est, verum ex vetustate eo peruenit, vt igneum colorem contrahat, vnde ipsum quoque nomen sortitum, nõ tamen eo omnia perueniunt, cum prius crassentur, quam in perlucido flauorem accipiat, *ad quam autem crassitiem peruenirent, certè ad* σύραιον *vt plurimum, idest sapæ consistentiam dici potest, vt Galenus in hoc eodem cap. refert de quibusdam crassis vinis, qui testatur etiam lib. de vtilitate respirationis, vinum suspensum ad ignem in quadam regione, salis in modum indurescere euaporante aqua. Plinius vetustissima vina, quemadmodum erant opimiana, ad mellis asperi consistentiam deuenisse affirmat, vt superius dictum est. quod ego etiam de quibusdam hispanicis vinis, quæ ad summam vetustatem deuenerant testari possum, idque ratio ipsa facilè suadet, nam tẽporis diuturnitate partes omnes tenuiores, & aqueæ ob calidum absumuntur, vt accidit in mustorum decoctione, quæ sicuti quo magis decoquuntur, crassiora fiunt, ita vina quo magis in Apothecis seruantur, ac veterascunt, eo magis crassescunt, quorum crassities indicatur etiam à Martiali lib. 12. Epig. 49. dum in natali Sabelli cæcuba saccãda præcipit, vt liquida, ac tenuia fierent, his carminibus.*

Natali pallere suo, ne calda Sabello
Desit, & vt liquidum potet Alauda merum,
Turbida sollicito trasmittere cæcuba sacco,
Atque inter mensas ire redire suas.

Idem

Idem lib.2.Epig.39.

Cæcuba ſaccentur, quæque annus coxit Opimi,
Condantur paruo fuſca falerna vitro.

Licet enim in quolibet ferè Codice legatur, ſiccentur, tamen verbum ſiccentur, vt grauiſſimi viri volunt, & rationi etiam conſonum eſt, corruptum exiſtimari debet, & ſaccentur legi conuenit, quod clare comprobatur ex illo verſiculo ſuperius allati Epig.

Turbida ſollicito tranſmittere cæcuba ſacco.

Itaut Cæcuba, aliaque nobilia vina ob eorum craſsitiem ſaccanda eſſent, vt attenuarentur, quod teſtatur etiam Athenęus lib.1. his verbis.

Chij, Thaſijque vini meminit ſic Epilycus
Saccatum Chium, Taſiumq. vinum.

Horatius etiam Sat. 4. lib. 2. nobilium, ac vetuſtorum vinorum craſsitiem indicat, ſacciq; vſum ad liquidanda vina demoſtrat his carminibus,

Maſsica ſi cœlo ſupponas vina ſereno,
Nocturna ſi quid craſsi eſt, tenuabitur aura,
Et decedet odor neruis inimicus: at illa
Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.

Adeo quod Maſsicorum vinorum craſsities potius aura attenuanda eſſet, quàm ſacco, quia ſcilicet attenuatio per ſaccum integrum eorum ſaporem adimeret, idq; propterea quod delicatiora fortaſſe erant, ita vt ex ſaccatione eorum vis nimis refrangeretur. Dum autem de alijs vetuſtioribus, ac potentioribus vinis agit lib. 1. carminum, clarius eorum indicat craſsitiem, et ſaccationem, inquiens, vina liques, *hoc eſt ſacco, vel colo, traſmittas, vt eliquentur, quod ſignificare etiam voluit Tertullianus lib. de pœnitentia cap.11. dum ſic loquutus eſt.* Conquirito altilium enormem ſaginam de

fecato

ſecato ſenectutem vini, *licet etiam huiuſmodi vina, vt integra prorſus remanerēt, calida aqua liquarentur in Tripode, vel Bacchi poculo nuncupato, vel in cratere relictis ſaccis, vt inferius demonſtrabimus.*

Hĩs omnibus addo Ariſtotelis auctoritatem, lib.4. Meteor.tex.48. vbi ait, vinum Arcadicum ita fumo exiccari in vtribus, vt deraſum bibatur, *in cuius textus explanatione licet interpretes omnes modum, quo huiuſmodi vinum craſſeſcit, ſcitè docuerint, quomodo tamen ebibi poſſet, vel non tetigerunt, vt Alexander Amphrodiſeus, Olympiodorus, ac nonnulli alij, vel malè ſenſerunt, inter quos Albertus magnus cum dixerit, vinum Arcadicum in vtribus ſuſpenſum in fumo in loco calido incraſſari, ita quod poſtea craſſum bibatur; vehementer à Cœlio Rhodigino redarguitur lib.28.cap.36. non enim rationi conſonum videtur craſſum vinum ebibi poſſe, ſed potius comedi, ait itaque Cœlius Ariſtotelis locum ſic legendum, ac intelligendum eſſe, vinum Arcadicum ita in vtribus ſicceſcit ex fumo, vt abraſum, & in minutias pertritum ebibatur. verbum illud* ξυόμενον *in minutias pertritum interpretatur. ſed pace tantorum virorum ſit dictum, utrumque in hoc allucinari exiſtimo, nam Arcadicum uinum neque craſſum, ſiue ſiccatum ebibi poteſt, ut inquit Albertus, neque in minutias pertritum, ut inquit Cœlius, niſi calida diſſolueretur, ac attenuaretur, licet in minutias pertritum facilius diſſolui potuiſſet, quam ita craſſum, & durum: ſicut itaque utrumque erraſſe exiſtimo, ita etiam utrumque excuſatione dignos cenſeo, cum eorum tempore uina in apothecis fumo inueterandi uſus iãdiu exoleuiſſet. Solus inter recentiores quo ad modum potandi Arcadicum uinum Ludouicus Buccaferreus aliquid boni dixiſſe uidetur lib.4. Meteor. ſuper tex.40. inquiens,*

quædam

quædam à calido coagulantur, & craſſeſcunt, & exiccantur, & huiuſmodi eſt vinum, quod à calido ſimul coagulatur, craſſeſcit, & exiccatur, & quod eſt iſtud? dicit Ariſtoteles, quod eſt vinum Arcadiæ, quod adeo à calore craſſeſcit, vt conſtat, quod etiam gladio diuidi poteſt in fruſta, & poſteaquam eſt diuiſum, ponitur in aquam, & ſic diſſoluitur, & bibitur, *hæc omnia ſatis benè dixit, ſed vnum reliquit, nempe huiuſmodi aquam calidam eſſe debuiſſe, vt inferius demonſtrabimus. De modo autem quo vina craſſeſcunt inter omnes alios Albertus Magnus planum facere videtur vini partes per ſublimationem demonſtrans, his verbis;* ſcias autem, quod cum vinum ſublimatur, quemadmodum aqua roſacea, id quod primo emittitur ex ipſo, humiditas eſt aquea, & eſt inſipida, & illo educto, remanent partes terreſtres vini infuſæ humiditati pingui oleagineæ: etſi ſubſtantia illa vltra ſublimetur lento igne, egredietur oleum: & differt vinum in hoc à vino, quoniam quo fuerit fortius vinum, eo eſt humor aqueus ſublimatus ex ipſo minor, & humor oleagineus maior: & quo fuerit debilius & tenuius, eo humor aqueus eſt maior, & humor olei minor: & in rubeo bono vino eſt humor olei maior quam in albo, & in citrino maior eſt, quam in eo, quod tendit ad puritatem aquæ. *Ex quibus verbis ſatis patet fortia ac potentia vina ex Alberto propterea fumo temporis diuturnitate incraſſari, quia reſolutis aqueis partibus, terreſtres vini partes humiditati pingui oleagineæ infuſæ remanent. Galenus libro de vtilitate reſpirationis, fortium vinorum craſſitiem, ſeu indurationem ad terreas dumtaxat partes referre videtur, inquit enim eo loci.* Vinum etiam quanto fortius eſt, tanto ponderis plus habet, adeo etiam quod ſupernatat oleum in eo, am-

plius

plius autem vinum, & liquores alij, varios sapores habent ex terra sibi admista: Vnde in quadam Regione vinum suspensum ad ignem in vtribus indurescit in modum salis euaporante aqua, *quæ postrema verba, & supra attuli: sed hac in re non possum omnino Galeno adhærere, quia nisi cum terrestribus partibus admista esset humiditas pinguis oleaginea, vt sentit Albertus, coagulatio à calido fieri non posset, non secus, ac in lapidibus contingit, qui in humanis corporibus gignuntur, ad quorum generationem præter calorem, & crassam substantiam requiritur etiam quædam viscinditas, vt ipsa humoralis materia coaguletur, & lapidescat.*

Concludendum itaque ad vinorum crassitiem, & indurationem, non solum terrestres partes, sed humiditatem pinguem oleagineam requiri, quæ partes cum in vinosis vinis magis reperiantur, quam in tenuibus, & pauciferis, hinc est, quod vinosa, fortia, et nobilia vina crassa apud veteres Auctores sæpè leguntur.

His itaque sic se habentibus iure meritò dicendum est apud priscos lineum saccum vinarium, ac colum ad liquidanda vina in vsu fuisse, quod certè absque calida fieri non potuisset, vtpote caloris attenuandi vi prædita; quod autem calida esse debuisset, clarè indicat Martialis in superius allatis carminibus ex lib. 12. desumptis ex Epig. 49. per ea verba, ne calda sabello desit.

Hinc igitur calidæ vsus communis fuit, licet etiam aliqua indomita, et superba vina ad eorum nimiam vim coercendam saccis castrarentur, vt meminit Plinius lib. 19. cap. 4. & alibi, præsertim vero lib. 23. cap. 1. dum circa ægritudines de vinis sermonem habet, præterquam quod tenuissima vina probat, vtilissimum, inquit, omnibus sacco viri-

viribus fractis, quare ex dictis, quis eßet potißimum calidæ vſus, ſatis apparet.

Vinorum autem dilutio, ac attenuatio per calidam in tripode poculo, vinum, & aquam ſimul miſcendo fieri conſuetum erat, vt inquit Athenæus lib. 2. his verbis. Etenim apud Priſcos Tripodum genera duo fuere, quæ ambo nominarunt aliquando etiam lebetas, alterum calidarium, Empiribates, ſeu Letrochoos quo ad ignem vtebantur calefaciendis aquis de quo Aeſchijlus:

Excipit hunc domeſticus lebes tripus
Perpetua cuius ad ignem ſtatio eſt.

Alterum Tripodum genus poculum fuit de quo Homerus.

Septenos Tripodas ἀπύρους. ideſt quos non admouerat igni,

In his tripodibus vinum miſcebatur: *quare Alexis apud eumdem Athenæum lib. 2. ait.*

Sterne lectos: ignem accende luculentum, tolle poculum:
Vinum miſce ſuauiſſimum,

Athenienſes autem, vt idem Athenæus refert lib. 11. in in proaron, qui ligneus crater erat, vinum diluebant, crateris etiam nomine vas, vbi priſci vinum miſcebant vocatum fuiſſe idem Athenæus lib. ſupracitato teſtatur ſic dicens, Priſcos fama eſt, atque primos homines Boum cornibus olim bibiſſe, liquet hoc ex eo, quod adhuc dum aquæ vinum permiſcent κεράσαι dicunt: & vas in quo vinum miſcetur craterē appellant ἀπὸ τοῦ κέρως, quaſi κερατῆρα quoniam in cornua potio fundatur, *hinc igitur eſt, quod ſæpè apud Athenæum legitur, miſce vinum. lib. enim 10. habetur.* Tu vero miſce quam celerrimè ſuauis, mellitique vini poculum

sum. *ibidem* Ecce dum, vinum adest, funde igitur, & misce. *ibidem*.

------ ------- & in poculis vinum
Miscuerunt, Regibusq; ad manus aquam dederunt.

Lib. vero 11. ait.

Quod venusta Sappho ait
Ades Venus, aureis in poculis elegantibus temperatum
Nectar vt affundas his amicis nostris, pariter ac tuis.

Eod. lib. ex Panyasi

Huius craterem magnum, splendidum, aureum, temperans,
Crebros scyphos cum laudasset, suauem potionem bibebat.

Eod. lib. ex Erathosthene.

Vinum deinceps conuiuis ministrabat nuper mixtum, ac dilutum in Cymbium effundentes, &c.

Et vt summatim dicam, passim apud Athenæum, dum de conuiuijs agitur primo loco vini mistio legitur, quæ in vase fieri solebat, quod vt superius dictum est vel Tripus, vel Crater, vel Bacchi poculum nuncupabatur, facta autem vini, ac aquæ mistione, temperata iam pocula mensæ imponere mos erat, vt idem Athenæus Auctor est libro supracitato, inquiens, Solebant enim prisci mensis imponere tempetata pocula.

Secunda causa, propter quam calida aqua in publica Thermopolij officina antiquo tempore Romæ venalis erat, fuit vt magis, & citius refrigeraretur, quod testatur Galenus lib. 7. Methodi cap. 4. affirmans se calidam ventriculi intemperiem aqua niue refrigerata curasse, Romano inquam more, eam scilicet prius calefaciendo, deinde refrigerando,

rando, hoc idem testatur etiam lib. de bonitate aquæ cap. 1. vbi loquens de aquæ elixatione ad eam corrigẽdam, inquit. Post elixationem vero, quando aquam frigidissimam reddere volumus, niuem quidem si habeamus, aquæ prius calefactæ extrinsecus ipsam circumponimus, niue vero si careamus, ex puteis refrigerationem ipsi comparamus, ipsam nimirum prius calefacientes, vt alteratu facilis reddatur. nam quicquid ante calefactum est, promptius in se ipsum totum alterationem, quæ à vicinis corporibus fit, suscipit, *hoc idem testatur Auicennas lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 16. dicens,* aqua calida citius recipit frigiditatem, & citius coagulatur ratione fortis raritatis. *Idem docet Aristoteles primo Meteororum cap. 2. vbi hæc habet :* confert autem ad celeritatem congelationis, & præcalefactam fuisse aquam, citius enim refrigeratur : Quapropter multi, cum aquam refrigerari cito voluerint ad solem ponunt primo.

Plinius lib. 19. cap. 4. loquens de luxu corruptis moribus sui temporis asserit, decoquere alios aquas solitos fuisse, mox, & illas hyemare, & lib. 31. cap. 3. affirmat Neronis inuentum fuisse aquam decoquere, vitroque demissam in niuem refrigerare, decoctam vtiliorem, & calefactam magis refrigerari, vnde Iuuenalis Sat. 5.

Cum stomachus Domini feruet, potuq; ciboq;
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Martialis lib. 13. Distic. 116.

Spoletina bibes, vel marsis condita cellis
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ.

Tertia causa aquam calefaciendi, siue decoquendi fuit, vt melior euaderet, faciliusq; secederet; Galenus enim lib. de bonitate aquæ cap. 1. posteaquam docuit prauas aquas de-

quendas

quendas esse, *dicit*, & in alium etiam vsum aquam præcalefacientes refrigeramus, quamuis neque gustum, neq; olfactum prauum habeat, exquisitæq; sit pura: Quando ipsam diutius quam par sit in ventriculo cõmorari, nocumentumq; aliquod inferre experti fuerimus. Nam caliditas aquam, quæ elixatur, totam æqualiter fundendo, eam aptam ad secretionem reddit, dum enim refrigeratur, terrestres quidẽ partes innata grauitate descendentes ad vasculi fundum perueniunt, aqua vero his supernatabit: qua sensim in aliud vas transfusa citra noxam vti poterimus. *hoc idem docet Auicenna* xj. *1. doct. 2. cap. 16. dicens decoctionem omnem aquæ prauitatem abijcere. hinc est*, *quod antiqui Imperatores*, *& Reges decocta vtebantur*, *vt superius de Nerone dictum fuit*, *& Herodotus testatur de Persarum Rege apud Athenæum lib. primo, inquiens*, Regi Persarum in potum aqua vehi ex Choaspe fluuio fusa præterlabente, e quo tantum, & alio nullo bibit, aqua illa decocta onustis per quam multis plaustris quatuor rotarum, quæ mulis tracta vasis argenteis illam portent, & Regem sequantur. Quomodo autem aqua illa Regia decoquatur, & vasis excepta feratur Regi, tradit Ctesius Cnidius, eamque leuissimam esse, ac potu iucundissimam affirmat. *& verisimile affirmandum videtur ad Imperatorum*, *& Regum exemplum cæteros quoque nobiles decocta vti consueuisse. Quemadmodum de Theriaca tradit Galenus, etenim lib. primo de antidotis cap. 4.* quo tempore, *inquit*, Antoninus imperabat, Thriaca à multis diuitibus parabatur: deerantq; idcirco nonnunquam eorum, quæ difficulter haberi possunt, simplicia quædam. Est enim admiratione dignum quantopere diuites prĩcipum mores vel imitentur, vel si non imitentur, videri saltem velint. Nam posteaquam ex humanis Antoninus excessit, pauci amplius

D

plius aut theriacam, aut mithridatum conficiunt; *sed ad decoctam rediens, addo Athenæum etiam eius iuuamentum ostendere dum ex Eupolide lib. 3. hæc refert, quæ supra citauimus.*

Ahenum calefacere nobis aliquem, & aquam
Iube decoquere, visceribus vt auxiliemur.

Quarta causa aquam calefaciendi fuit pro male valentibus, hinc Auicenna lib. primo fen. 2. cap. 16. de aqua sermonem habens, sic scribit. Et illi quidem, quibus aqua calida arte iuuamentum præstat, sunt Epilexiam habentes, & melancholiam, & capitis dolorem frigidum, & Asthma, & opthalmiam, & bothor in guttere, & gingiuis, & Apostema post aures habentes, & rheumatismos, & vlcera in diaphragmate, & in puris solutionem in parte pectoris. Menstrua præterea prouocat, & vrinam. *Nec alia ratione medici omnes decoctam aquam ægrotantibus propinant, nisi quia ex coctione purior euadit, facilius secedit, & visceribus magis auxiliatur, & quod ægrotantes calida aqua vterentur, testatur etiam Athenæus lib. 3. vbi ex Antiphone, haec inquit.*

Aquam in olla mihi, qui coquat neminem aspicere
sustinebo,
Non enim malè valeo, & Dij faxint ne valeam: verũ
Si tormina circa ventrem, & vmbilicum cruciarent
Adest à Phertato mihi drachma emptus annulus.

Quare Seneca ludens, quasi misericordia erga aegrotantes motus epist. 78. sic loquitur, O, infelicem egrum? quare? quia non vino niuem diluit, quia non rigorem potionis suæ quam capaci sypho miscuit, renouat fracta insuper glacie.

Elegantissimus Mercurialis libro primo variarum lectionum

ctionum cap.8.existimauit nunquam inter conuiuia veteres aquam calefactam bibisse, quod ea potius vomitum concitasset, quam aut voluptatem, aut commodum attulisset, tamen cum frigidae, & calidae apud antiquos Auctores mentio saepe fiat, huius rei alteram trium causarum excogitauit, nempe vel calidam aquam apud priscos eam fuisse, quae nulla arte refrigerabatur, quaeque qualis suapte natura erat potaturis porrigebatur, vel calidam in conuiuijs, ijs adhiberi solitam, qui aliqua valitudine affecti essent, vel denique calidae vsum ante cœnam apud eos fuisse, qui vt auidius, ac abundantius sese ingurgitarent vomere cupiebant, sed quam in hoc allucinatus fuerit ex superius dictis satis constat.

Concludendum itaque videtur calidam ea potissimum ratione communiter adhiberi solitam fuisse, vt praeparamentum esset ad potum, cum enim vina, quibus prisci vtebantur, ob fumum, solem, ignem, flammas, varia condimenta, ac maximam vetustatem crassa admodum essent, per calidã dissoluenda erant, cum ad id frigida inepta esset, dissolutis autem, ac attenuatis vinis, aqua ex niue, aut glacie addita aestiuo praesertim tempore frigidum, imò gelidum bibebant, vt ex ijs, quae in praecedenti capite diximus, notum apparet; licet etiam ex Raderio lib. 14. in Lemmate colum niuarium, liquata per calidam vina sic refrigerarentur, niues in Colum inijciebantur, deinde liquatum vinum infundebatur, vt per niues, dum flueret frigus conciperet, iure igitur meritò seruos multis verberibus mulctare consueuerunt, nisi per horam ante cœnam calidae vrnas chalco, seu quadrante emptas detulissent, quia si hoc non fecissent, cœnam protrahere opus esset.

Indigentia autem praeparandi potum per calidam cae-

pit post annum Vrbis 633. quo tempore intelligente iã suum bonum Italia, vt superius ex Plinio diximus, caepit vina diffundere, eaque in Apothecis, vt veterascerent, seruare, notas amphoris, & cadis imprimendo, quibus vini tum aetas, tum Patria cognosci posset, & ab eo tempore factum est, vt vini auiditas in dies magis augeri ita coeperit, vt Suetonius de Flauio Domitiano loquens cap. 7. haec dixerit. Ad summam quandam vbertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arua, edixit ne quis in Italia nouellaret, vt quæ in Prouincijs vineta succiderentur, relicta, vbi plurimum, dimidia parte. Neque exequi rem perseuerauit. *Terbellius etiam Bulgarorum Dux texte Bonfinio lib. 1. Decadis 1. vineas omnes eandem ob causam extirpari imperauit.*

Ante vero supradictum tempus vina in claritate, & pretio non fuisse Plinius demonstrat lib. 14. cap. 12. referens Romulum lacte, non vino libasse, & cap. 13. eiusdem libri sic dicens, Inter dona sextarios lactis datos inuenimus, nusquam vini, paulatim itaque vini claritas, & multitudo augeri cæpit, *adeo vt idem Plinius, dum magnam liberalitatem Caesaris in vino describeret, sic loquatur:* Quid? non & Cæsar Dictator triumphi sui cœna vini falerni Amphoras, Chij Cados in conuiuia distribuit? idem Hispaniensi triumpho chium, & falernum dedit, epulo vero in tertio cõsulato suo, Falernum, Chium, Lesbium, Mammertinum: quo primum tempore quatuor genera vini apposita constat, *deinde subiungit:* postea ergo alia omnia in nobilitatem venerunt circiter septingentesimum Vrbis annum. *Haec vero addit sequenti capite*, Itaque non miror innumerabilia pene genera vini fictitij multis ante sæculis reperta fuisse: *hoc enim ideo factum fuisse existimandum,*

dum,

dum, quia vera vina rectè conficere, et præsertim seruare adhuc non didicerant, cum ea in cellis vinarijs in plano terræ sitis dumtaxat detinerent, vel infodiendo si imbecilliora essent, vel sub dio exponēdo, si vehemētiora fuissent, adeo vt præcocem maturitatem acquirere, ac veterascere nō possent, quin potius non magno temporis interuallo acescerent, vt hac etiam nostra tempestate contingere solet, vix enim pleraque vina integrum annum attingunt, inde acescunt, licet quibusdam ob hinc sæculis subterraneæ etiam cellæ vinariæ inuentæ fuerint, & hoc vnum causæ est, vt vina hisce nostris temporibus paulò melius seruentur, quàm priscis illis temporibus, quibus adhuc non diffundebantur, quia postea quam deferbuerunt, vel saltem veniente vere, de dolio in dolium diffundimus antiquo illo more anni Vrbis 633. seruato, verum quia vina in principio vt ex Gal. superius dictum est, frigida loca per duorum, vel trium annorum interuallum, postea vero calida non tepida desiderant, nos autem ab initio, vt plurimum in subterraneis cellis ea recondimus, quæ autumni tempore tepidiores sunt, hyeme respectiuè calidiores, hinc est quod vina æstatis tempore, & præcipuè sub cane, vt plurimum acesunt, cum tamen vt Galenus ait, lib. 3. de semplic. med. facult. cap. 15. eueniat alios quidem succos & acescere, & corruptos putrescere, sola vero oleum, mel, & vinum in longum temporis spatium perdurare, adeo vt vinum ex sui natura non acescat, sicut nec oleum, nec mel, sed quia antiquum conseruandi morem dimisimus, & verisimile admodum existimandum puto, vasa illa fictilia in quæ vina diffundebant, nempè Amphoras, & cados plurimum contulisse ad vini conseruationem, & magis, quam lignea dolia, quibus nostra tempestate vtimur; Porrò vasa illa fictilia fuisse testatur Athenæus lib. 1. in-

quiens, Ion autem Chius Athenis in agenda tragœdia victoriam adeptus, Athenientium cuique fictile Chium largitus est, *hoc idem affirmat lib. 11. inquiens Clecthar-cus in linguis tradit ab Ionibus cadum vocari* κεράμιον *fi-ctile*.

Et quoniam hic aliquis curiosius quærere posset, quid nã propriè fuerit Amphora, & cadus apud antiquos, & cuius capacitatis.

Dico Amphoram, vt plurimum liquidorum mensuram præcipuam fuisse, quandoque vero, & pro vase vinario simpliciter desumi, eiusque capacitatem, vt mensura est, octo, & quadraginta sextariorum fuisse, vel duarum vrnarum, vel octuaginta librarum, & huiusmodi amphora quadrantal prius nuncupabatur, deinde ex eius formæ mutatione amphora dicta est. Cadus inter mensuras non legitur, sed fuit vas vinarium diuersæ capacitatis, & aliquem cadum duarum vrnarum fuisse (vt etiam amphora) testatur Columella lib. 12. cap. 20. vbi inquit, si vinum in vetustatem seruare voles, in cado duarum vrnarum, quam optimi vini sextarium, aut fæcis generosæ recentis sextarios tres addito.

Præterea ex ijs, quæ superius diximus de Apothecis, & vinis fumo inueteratis, non intempestiuè hoc loco maxima quædam difficultas explanari potest, quid nam in causa sit, quod veteres Auctores de antiquissimis ædificijs differentes de infumibulis, quæ nos caminos vocamus, nusquam meminerint, cum tamen apud priscos præsertim nobiles, nihil magis quam sumptuosa, & quotidiana conuiuia in vsu fuisse legatur, itaut amplissimæ etiam culinæ, magnisq. ignibus refertæ necessario esse debuerint, præterquam quod in alijs etiam ædium cellis hyemali tempore flammas excitare ex

vsu fuisse existimandum est, itaut infumibula plurima super tecta (vt nunc mos est) apparere debuissent, secus enim culinæ, aliæque cellæ ob fumum inhabitabiles fuissent, itaut coqui in culinis præsto esse ad eduliorum præparationem nequiuissent, nec quisuis alius in suis cellis ignis vsu commode frui potuisset.

Respondeo veteres de infumibulis mentionem non fecisse, quia vere non dum ea conficere didicerant, sed nec excogitauerant, idque propterea factum fuisse existimandum, quia fumus omnis in Apothecis excipiebatur, quod clare Columella demostrat lib. 1. cap. 6. vbi postea quam diffuse egit de Torcularijs, cellis olearijs, cortinale, ac fumario, quod rusticis balneis iungi solet, tandem hæc addit: Apothecæ recte superponuntur his locis, vnde plerumq; fumus earum exoritur: quoniam vina celerius vetustescunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahũt, propter quod, & aliud tabulatum esse debebit, quo admoueãtur, ne rursus nimia suffusione medicata sint. *Cum itaque priscis temporibus omnis domorum fumus in Apothecis reciperetur, quod tam in rusticis, quam in vrbanis ædificijs contigisse dubitandum non est, hinc priscis infumibula inuestigandi occasio erepta fuit, ac eorum loco, sicut etiam ad lumen recipiendum spiracula aliqua in Apothecarum parietibus confecta fuisse ambigi non potest. alioqui fumus repletis iam Apothecis per eosdem canales retrocessisset, non secus ac hodiernis infumibulis contigere solet, dum ventus aliquis fumum propellit, itaut foras egredi non possit. Post vero dimissum apothecarum vsum ob nouum subterranearum cellarum inuentum ad vinorum repositionem, ac conseruationem, infumibula super tecta reperta fuisse rationi consonum videtur.*

Et quia rursus aliquis instare posset, quo nam modo fumus in Apothecis exciperetur.

Respondeo id fortasse per fictiles tubos, seu canales inter parietes reconditos fieri solitum, idque re ipsa in antiquissimis ædificiys deprehenditur, in quibus huiusmodi fictiles canales intra parietes hodie quoque reperiuntur, & mihi ipsi uidere contigit, ita vt per huiusmodi tubos fumus omnis qui ab igne procedebat, vbicunque fuisset, siue in culinis, siue in aliys inferioribus cellis, tandem in apothecis exciperetur. Suspicari enim possumus tubos huiusmodi ei rei, quam diximus, prius inseruiysse, postea vsu docente ad calefacienda quoque cubicula frequentius confectos fuisse. Id enim contigisse circa Augusti æuum, aut paulo prius videtur innuere Seneca epist. 90. sic scribens. quædam nostra demum memoria prodisse scimus, vt speculariorum vsum, & impressos parietibus tubos, per quos circunfunderetur calor, qui ima simul, & summa foueret æqualiter.

Salubris potus quomodo frigidus esse debeat. Cap. IV.



VM natura non deficiat in necessariys, vt docet Aristoteles 3. de Anima text. 45. iure affirmandum esse puto frigidum potum sanis hominibus conuenire qualem scilicet natura ipsa quolibet anni tempore appetit, & subministrat, talis enim potus omnibus hominibus cuiuslibet sint ætatis, conducere ita potest, vt nec minimam noxam afferre valeat. Verum, quia propter ambientis aeris caliditatem æstiuo tem-

uo tempore, ac ipsius intensam quandoque frigiditatem per hyemem, in quibusdam præsertim regionibus, potum adeo calefieri, vel refrigerari contingit, vt ab ea symmetria, siue frigiditatis sufficienti gradu, quem prouida, & iusta natura exhibet, recedere facile possit, maximo cum salutis nostræ discrimine; hinc factum esse arbitror, & summa cum ratione, vt omnes ferè Nationes ab antiquis etiam temporibus multiplicem refrigerandi modum excogitauerint, nempe & niue, & glacie, & frigidis fontium, cisternarum, puteorum, fluminum aquis, ac denique antra, & alia ima, excauataq; loca ad eundem finem construxerint, quemadmodum, & hac nostra tempestate fieri solet, licet per longum temporis interuallum niuis, & glaciei vsus exoleuisset, quem quidem vsum improbare non possum præsertim in Vrbe, vbi maximi calores vigent, & ab ambiente aestiuo aere paruo temporis interuallo quaelibet frigida aqua cisternarum, fontium, & puteorum, & quodlibet frigidum vinum ex optima cella eductum facile tepescit, sed hac lege refrigerantibus vtendum censeo, vt aqua, ac vinum in suo naturali frigiditatis gradu conseruentur, vel si acciderit, vt ratione calidioris ambientis à naturali frigiditate recedant, amissa naturalis frigiditas restituatur, ita etiam, si in aliqua frigidiori regione eueniat, vt potiones vehementius refrigerentur, calore ita vtendum est, vt extrinseca, ac ascititia frigiditas, quam à frigidiori ambiente contraxit, expellatur, etenim tunc refrigerantium vsus rectus fiet, cum naturæ operibus conformabitur, quæ quidem natura excessus non patitur, sed mediocritate gaudet, moderatè scilicet frigido; quod ab ipsamet natura subministratur, summe enim frigidum, vel frigidissimum, tepor, & calor, naturae nostrae conducere nullo modo possunt, &

pro-

propterea Aristotiles sect. 11. problematum problemate 56. affirmabat, calores, & tepores corpora resoluere, & elaxare. Hipp. etiam 2. Aphoris. Aph. 52. docebat plurimum, ac repente, vel calefacere, vel refrigerare periculosum, quoniam quicquid excedit, est naturae inimicum. Lib. vero de humidorum vsu part. 3. affirmat frequentem calidorum vsum has laesiones afferre, carnium mollitiem, neruorum debilitatem, mentis stuporem, sanguinis eruptiones, animi deliquia, ac tandem mortem: Frigida vero afferre conuultiones, tentiones, nigrores, rigores febriles. mediocritatem quidem extra noxam esse. 5. Aphor. Aph. 18. ait, frigidũ inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ. *Aphor. vero 24. eiusdem sectionis dicit,* frigida qualis nix, & glacies pectori inimica, tusses mouere, & sanguinem, & destillationes, *& certum est Hipp. per frigidum intelligere, ut ipse Galenus interpretatur, gelidum siue summe frigidum, quemadmodum etiam Auicennas, & omnes medici idem sentiunt, & ideo Galenus dum lib. de bonitate, & uitio succorum cap. 13. agit de refrigerandi modo in corporis squallore, ac de niuis usu, licet ijs, qui uitam negotijs plenam degunt, potum niue refrigeratum permittat, ijs uero, qui negotijs soluti sunt fontanam recenter haustam probet, sic tamen in fine capitis concludit.* Nam tam & si ipsa statim nix noxa sensibili non videatur iuuenum corporibus officere; increscente tamen temporis processu occulto paulatim noxa, vergente nempe ætate, articuli his neruique, ac viscera morbis corripiuntur, vix aut nunquam sanandis: ac verisimile certè fit, vt vnicuiq; ea corporis pars afficiatur, quæ natura omnium maximè infirma fuerit. *Auicennas autem lib. 1. fen. & doct. 2. cap. 16. & alijs in locis asserit* refrigeratam in niue aquam, neruis & mem-

bris

bris respirationis facere nocumentum, & omnibus interioribus, neque tolerari eam nisi à vehemẽter sanguineis, eamque si non illico nocumentum inferre, longo tractu dierum, & cum in annos processerint, magnopere officere, quæ verò nimis calefacta est, cum frequenter bibitur infirmare stomachum, quanquam loco medicamenti conceditur in affectibus pectoris, ad asthma, ad vlcera pulmonum, & diaphragmatis. *Quare hanc ueritatem intelligens Seneca lib.4.nat.cap.ultimo acerrime declamat in luxu corruptos suo tempore mores.* Nec niue, *inquit,* contenti sunt, sed in glacie rigorem exquirunt, ac sæpè eam repetitis aquis diluunt, vt pertinacius frigidum concipiat, ex abdito effoditur. Itaque nec vnum niuis est pretium, sed habet institores, & reponendæ officinas, paleisq; custodiunt, inquinantq; *& subdit,* quemadmodum illis nihil satis frigidum, sic nihil satis calidum est; sed ardentes boletos demittunt penè feruentes, quos deinde extinguunt niuatis potionibus, itaq; nix eo peruenit vsu, vt aquæ locum obtineat, *& lib.15.ad Lucilium inquit,* quid tu illam æstiuam niuem non putas callum interioribus obducere? *Plinius etiam lib.19.cap.4. dum uehementer inuehitur in Patritios, & diuites, qui ob mostruosum luxum in cibo, & potu edulia multa plebi interdixisse uidebantur in haec uerba prorumpit.* Heu prodigia ventris mirum esse non licere pecori carduis vesci, nec licet plebi. Aquæ quoque separantur: & ipsa naturæ elementa vi pecuniæ discreta sunt. Hi niues, illi glaciem potant, penasq; montium in voluptatem gulæ vertunt. seruatur algor æstibus, excogitaturq; vt alienis mensibus nix algeat. decoquunt alij aquas, mox & illas hyemant. Nihil itaque homini sic, quomodo rerum naturæ placet. *Scithae etiam vt refert*

Hipp.

Hipp. lib. de aere, aquis, & locis, aquam à niuibus, & glacie resolutam potare consueuerunt, & ideo, vt idem docet, iuncturas humectas, & inefficaces, ac humidos ventriculos habent. Hoc autem, licet hac nostra tempestate non sit passim in vsu, nempe, vt niualis aqua adhibeatur in potione, niue tamen ita potum aliqui refrigerare audent, non solum æstate, sed etiam media hyeme, vt facilè in contumaces præcipitent ægritudines, nempè arthritim, dolores colicos, & nephriticos, calculos, vrinæ difficultatem, viscerum indissolubiles tumores, & quod peius est quandoque aliquo spiritalium partium affectu ita corripiuntur, vt repente suffocentur, quare mirum non est Galenum lib. de consuetudine cap. 1. referre Aristotelem Mityleneum virum in speculatione peripatetica primatum tenentem ex frigido potu decessisse. Qui potus pueris primo loco infestissimus dici debet, quia humidiores sunt, nam tametsi plurimum calidi innati habeant, vt animaduertit Hipp. primo Aphoris. Aphor. 13. tamen cum eorum calor multæ humiditati sit permixtus, qualitate exiguus est, & facilè à gelido potu alterari potest, & eo magis quia parum se exercere solent. Secundo loco senibus plurimum obest, nam cum eorum calor, & quantitate, & qualitate exiguus sit, facile à suo contrario vinci potest. Tertio loco mulieribus est noxius, siue virgines sint, siue viduæ, siue nuptæ, & primo quidem tribus communibus rationibus; prima est, quia mulierum calor, si ad virilem conferatur, quantitate, & qualitate exiguus est, ita vt facilè à frigido potu dissolui, & vinci possit. Secundo, quia mulieres omnes ad viros saltem collatæ sedentariam, & otiosam vitam ducunt. Tertia quia ex Hipp. 5. Aphoris. Aphor. 22. sedi, pudendis, vtero, vesicæ, his calidum amicum, frigidum inimicum. His itaque tribus

ratio-

rationibus communiter omnibus mulieribus intensè frigidus potus nocuus est, si autem singillatim de quolibet mulieris statu agendum sit, in primis certum est virginibus frigidum potum non conducere, quia in aliquibus mensium effluxum omnino prohibere valet, in omnibus autem diminuere potest, & duplici ratione, primo quia uias omnes per quas sanguis effluere debet, angustiores reddit. Secundo, quia ratione frigidi potus, sanguis frigidior, & crassior redditus fluere difficulter potest. Viduis non confert, quia cum vterinis affectibus præ ceteris sint obnoxiæ ob seminis potissimum retentionem, vt placet Galeno sexto de locis affectis cap. 6. quo semen frigidius, & humidius erit, ratione frigidioris potus, eo magis huiusmodi affectibus corripientur, ex frigido enim potu, cum sanguis refrigeretur, frigidum etiam semen gignatur necesse est, à quo cum frigida qualitas non solum vtero, sed vasis etiam spermaticis communicetur, ex vteri tandem, ac partium illi inseruientium refrigeratione seuissimis vteri sympthomatibus viduas corripi contingit. Inter nuptas mulieres sterilibus primo gelidus potus valde noxius dicendus est, quia vterum refrigerando sterilitatem confirmat, & adauget, idque facilè colligi potest ex Aristot. lib. 4. de generatione animalium cap. 2. vbi asserit aquas crudas & frigidas, aut sterelitatem, aut partum fœmineum facere. *Ex Hipp. etiam cõstat 5. Aphor. Aph. 62. vbi sterilitatis causas afferens dicit,* quæcumque frigidos, & spissos vteros habent, non concipiunt; extinguitur enim in eis genitura. *Ex Auicenna etiam patet, qui in 2. 13. tract. 1. cap. 7. de causis sterilitatis agens, inquit;* Causa autem, quæ est in matrice, aut est malitia complexionis corrumpentis sperma, cuius plurimum est frigus congelans eam, sicuti accidit ex potu aquæ frigidæ. *Hac*

eadem

eadem ratione, nec vterum gerentibus frigidum potum competere aſſerendum eſt, quia ipſarum vterum refrigerat eo tempore, quo natura ipſius caliditatem pro fœtus conſeruatione, & perfectione valde deſiderat, quare Hipp. lib. de octimeſtri partu inter cauſas, quas affert, ob quas pueruli recenter nati varijs morborum generibus obnoxij ſint, hanc etiam connumerat, quia ſcilicet locus à quo egrediuntur, calidior eſt quocunq; alio, à quo contineri poſſint. Parturientibus, & puerperis adeo gelidus potus aduerſatur, vt mortem afferre poſſit, parturientibus quidem, quatenus partum valde laborioſum efficere valet, puerperis autem, quatenus puerperiorum, vel tardationem, vel omnimodam retentionem ingerere poteſt. Lactantibus mulieribus gelidum potum conferre non poſſe, hinc patet, quia impoſsibile eſt, vt mulier quæ gelido potu vtitur, optimum, ac temperatum gignat ſanguinem, ſed potius frigidum, pituitoſum ſcilicet, vel ſeroſum, ex pituitoſo autem, ac ſeroſo ſauguine, temperatum lac infanti conueniens generari non poteſt; quare iure meritò Hipp. lib. de aere, aquis, & locis, de crudis, & frigidis aquis loquens, ab ijs omnia ſupranarrata accidentia mulieribus contingere affirmat, & certè eadem ratione non ab ſimili de gelido potu fatendum eſt. Vltimò tandem loco ijs, qui in iuuente vigore, ac in conſiſtenti ætate conſtituti ſunt, gelidus potus aduerſatur, & licet ob maximum ipſorum naturæ robur, de repente non afficiantur, accedente tamen temporis proceſſu occulto paulatim ſuprannarratis morbis corripiuntur, imò quandoq; ſitis ijs ita augetur, vt eam extinguere nec ipſa niue, nec glacie poſſint, idque propterea fit, quia ab intenſo frigido eorum viſcera, & præcipuè iecur comburuntur. frigidum enim, licet, non vt calidum calefacere, & vrere poſsit, vt dicit Ariſtoteles quarto Meteor.

teor. cap.2. tamen vt congregat, & circum obsistit calidum, & calefacere, & urere potest, quinimo temporis processu iecur à frigido ita indurari potest, & densari, vt breui temporis interuallo homo ad atrophiam, vel chachesiam, vel hidropem deduci possit, eiusque venæ ob eandem causam adeo duræ quandoque fieri possunt, vt scindantur, propterea Galenus lib.4. de locis affectis cap.8. inquit, frigidum venas frangit. Atqui ipsum per se rupturas non facit, sed quia venarum tunicas frigiditate sua duras, & ad extensionem contumaces reddens, vt rumpantur, paratiores reddit: ruptioni vero causa est, aut vehemens motus, aut humorum abundantia. *Quomodo autem huiusmodi induratio fiat, docet Aristoteles lib. 5. de generatione animalium cap.3. inquiens:* Indurat igitur tum calor, tum frigus, namque euenit, vt ab vtrisque humor euaporetur, scilicet à calore per se, à frigore per accidens, frigus enim indurat, propterea quod cogendo exiccat, cum enim calor eximitur, humor etiam euaporatur, *ex eodem etiam Galen. hoc idem demonstratur lib.4. de simplic. med. facult. cap.2. his verbis.* Est vero, & oculis, & naribus, & ori, externis partibus animalis frigidum mordax: nec minus interius, ventri, & intestinis: vt difficile sit nonnunquam discernere, an à frigore quis, an ab humorum mordicetur acrimonia. Eueniunt autem hæc non abs re: si quidem, cum frigidum quæcunque contingit, eorum & extrahat substantiam, & condenset, constringatque primum tenues, tum excernantur humidirates necesse est, sicut ex oculis lachrima, ex naribus muccus: postea vero etiam mordax apparet, licet alia ratione quam in calido. Nec enim erodendo, quod continuum est, sed diuellendo, molestum, ac mordax est frigidum. *Quare manifestum est, summe calidum, & sum-*

& summe frigidum, vstionis causam esse, quod quidem Galenus loco supracitato se expertum fuisse asserit his verbis. Memini me quandoque per niuem iter fecisse tam altam,& copiosam, vt nulla terræ pars nuda conspiceretur: Aer exactissimè purus erat, spirabatq; à niue quidam ventus adeo frigidus, vt non oculos modo,& nares,& totam adeo faciem mordicaret, verum etiam si quis fortè manum protulisset,similiter illam afficeret. At quæ à summa frigiditate, aut caliditate absunt, cutem non mordicant. *Plinius etiam lib.18.cap.28. facilè intellexit frigus vstionis causam esse, cum eo loci dixerit omnem vredinem frugibus à frigore euenire,& lib.20.cap.28.& alijs in locis doceat quomodo corporis partes frigore adustæ curandæ sint. Ex dictis itaque summo iure contra gelidum potum bibentes hac nostra tempestate ea dicere potero,quæ Galenus lib.5. de sanitate tuenda cap.1. contra eos qui cibis mali succi vescebantur profert, cum non secus gelidus potus,ac cibi mali succi, immo magis,eadem mala, & plura etiam afferre valeat:* Nonnullos,*inquit*,quibus licet salubre admodum, firmumq; natura corpus erat, per multis morbis afflictos vidi, ac postremo immedicabilibus malis in senectute saltem oppressos: quos tamen fas erat, quod ex naturali habitu fuit,tum sensibus omnibus illæsos, tum reliquis corporis partibus sanos ad vltimam vsque durasse senectutem. Quonam igitur pacto turpe non sit, qui optima natura sit præditus, hunc ob podagram ab alijs gestari, aut calculo iam cruciatum,& colo,& nephriticis doloribus,& vrinæ difficultate ob summe frigidum potum doloribus contabescere? Quomodo rursus non turpe sit, propter articulorum morbum suis ipsius manibus vti non valentem, alienis egere,quibus cibus ori admoueatur? cuique sedes

infirma est, eo, qui in deiectionibus subministret, satius enim sit, si cuique vllum omninò pectus est, sexcenties malle mori, quam tali vita viuere. Quod si quis tam impudens, simul delicatusq; est, vt turpitudinem suam negligat, & dolores, quos noctes, diesq; ex vitijs suis sustinent, non aliter, quam, qui à carnificibus torquentur, certè non ille à nobis deserendus est, sed hæc omnia tamen, vel intemperantiæ, vel ignorantiæ, vel vtrique imputanda sunt. *Consequens est itaque illam aquam innoxiam esse, quam probatus fons quolibet anni tempore in quolibet habitabili loco, vt plurimum subministrare solet, talis autem aqua, qualis sit, describitur à Galeno lib. 10. Meth. medendi cap. 11. his verbis.* Esto præparata in labro aqua frigida, ea frigiditate, quæ nullam euidentem qualitatē nec prorsus frigidarum, nec tepidarum aquarum præferat, sed qualem eam, quæ fontana vocatur, quæ & frigoris, quod ferit, & teporis, qui resoluit, est in medio. *quod & in secundo de facultatibus simplicium medicamentorū libro comprobauit, dicens,* Porrò si nec insigniter calida nec frigida, admoueatur, sed veluti, quæ fontana dicitur, *huiusmodi enim aqua, vt ibidem Galenus docet, propriam aquæ facultatem exercet, cum autem ab ea frigiditate recedit, quam optimus fons ei subministrat, non amplius agit, vt potabilis aqua, sed quatenus frigidior condensat, constipat, contrahit, constringit, ac repercutit; quatenus tepida, vel calida laxat, rarefacit, fundit, digerit; quatenus feruens adurit, hinc Galenus præcæteris aquis fontanam aquam omnibus hominibus quolibet tempore, & in quacunq; ætate constituti sint, suadet, lib. enim de renum affectus dignotione, & medicatione cap. 7. inquit:* Qua tu autem commode, quouis, & tempore, & modo vti possis aqua, sit purissima, de-

secata, leuis, & fontana, cuius natura est frigida. Quod si etiam cito à præcordijs descendit, potiorem non desiderabis. Haud vero sicut vino, cibis, exercitijs, vigilijs, & somno secundum ætatum, & temperaturarum diuersitatem alijs, atque alijs vti commodum est: sic etiam aqua non eadem semper vti est ex vsu: Immò quam vtilem esse modo diximus, ea vti audacter poteris, & puer, & adolescens, & senex, quacunque naturæ differentia sis præditus. *primo vero de sanitate tuenda cap. 11. hæc habet*: cuius ad orientem solem fons erumpit, quæque per meatum aliquem mundum, aut puram colatur terram, eademque calefit, & refrigeratur ocyssime, hanc omni ætati vtilissimam esse existimandum est. Non enim sicuti vino, escis, exercitatione, vigilijs, somno, & venere alijs alias vti pro ratione ætatis expedit, ita de aqua quoq; statuendum est, sed quam nunc optimam indicauimus, hac vti puero, iuueni, seni conducit. *Nec ob superius allatas auctoritates existimare quis debet cisterninam, putealem, & fluuiatilem aquam ad potum ineptam esse, nam huiusmodi etiam aquæ optimæ sunt si eas conditiones habuerint, quas capite 12. de aquarum bonitate, & vitio docebimus, & præsertim si quo ad frigiditatem, & temporem à Symetro non distent, quod demonstrat Galenus lib. 3. de temperamentis cap. 3. hoc exemplo*. Nam & mediocri nobis flamma nonnunquam opus est, eaque vsi, plurimum ex ea iuuamur, cum tamen immodica flamma nos vrat: ad eundem modum, & frigidæ potio, quæ mediocris est, confert, quæ immodica est, maximam affert læsionem, *quod Auicennas etiam insinuare videtur, dum in secunda p. cap. 16. affirmat aquam temperate frigidam, sanis meliorem esse aquis omnibus, nam huiusmodi aqua appetitum excitat, &*

stoma-

ſtomachum fortem efficit. Vinum etiam eiuſmodi ſit, quale optima cella vinaria quolibet tempore ſubminiſtrare ſolet, æſtate ſcilicet ſatis frigidum, alijs anni temporibus, & hyeme præſertim temperatum: optima autem erit cella vinaria, ſi huiuſmodi conditiones habebit, Prima ſi ſubterranea ſatis erit, Secunda ſi craſſis, & denſis parietibus erit munita, ac deſuper optimè fornicata, Tertia ſi ad ſeptentrionem verſa fuerit, Quarta ſi à fornacibus, vaporatorijs, ſtabulis, gallinarijs, rebuſq; omnibus ſtrepentibus, aut concutientibus ita diſtabit, vt vinum nullam noxam recipere ualeat, cuius conſeruationi plurimum etiam intererit ex Galeno com.4. in lib.6. Hipp. de morbis vulgaribus, ſi dolia picata, aut gypſata fuerint, habet enim Gal. eo loci. Inuenies itaque picata, aut gypſata dolia diutius vina ſincera conſeruare; ſed quæ ſolo corio, ſicut & quæ cuneis obſtruuntur breui tempore durant: Quocirca obſtructa prius cuneis, aut corio dolia, gypſo deinde, ac pice oblinunt. *Inter ſupra narratas cellæ vinariæ conditiones ex Plinio lib.14. cap.21. plurimum conducit, vt feneſtræ ad ſeptentrionē poſitæ ſint, hac enim ratione frigida ſatis eſt cella vinaria, cùm ex ſolis diſtantia, tum etiam ex frigidi venti perflatu; Nec pauci momenti exiſtimari debet cellæ vinariæ diſtantia à ſtrepentibus, ac concutientibus rebus, vt ſuperius dictum eſt, quia in Vrbe præſertim vina ſæpe aceſcere arbitror ob frequentem curruum tranſitum, cum omnes ferè cellæ in frequentatis à curribus vijs conſtructæ ſint, cuius etiam rei cauſa eſſe videtur quod doliorum materia ſubtilis nimium eſt, quemadmodum Romæ in vſu eſt, ita vt facilè contingere poſſit vinum à quolibet extrinſeco, & præſertim vehementi calore alterari, & eo magis ſi vina optime defecata non fuerint. Ariſtotiles enim tertio de ge-*

neratione animalium, dum obiter causam affert, ob quam desecanda sint vina, dicit, propterea id faciendum, quia superueniente calore æstatis solent fæces subuerti, ac ita vina acescere, hoc enim causæ est, vt deprauentur ob faecis subuersionem; praeterea deprauantur etiam vina ex Plutarcho lib. 3. Symposiacon, quaest. 7. ex fauonij flatu, is enim ventus omnium maximè vinum mouet, & quod vinum hunc subterfugit, id iam perduraturum videtur. Manifestum itaque ex dictis frigidum potum talem esse debere qualem natura largitur, si autem ex niuis, vel glaciei vsu naturae limites excedat, nulla in re homini prodesse poterit, quin potius multos pariet morbos, vel repente, ijs, qui debili sunt calore, vel temporis processu occulto, ijs, qui validum calorem habent; licet negare non possim, quemadmodum etiam superius de calido potu affirmaui, medelae gratia summè frigidum quandoque conducere, vt omnes Medici testantur, & Galenus praesertim 7. Methodi cap. 4. multisq; alijs in locis gloriatur calidas intemperantias, aqua prius calefacta Romanorum more, deinde niue refrigerata curasse, licet 9. Methodi cap. 5. doceat, maxima cum praemeditatione frigidam in morbis exhibendam esse, & affirmet intempestiuè sumptam multa incommoda afferre, praesertim vero 5. de locis affectis cap. 7. inquit ex intempestiua aquæ frigidæ potione iecur affatim refrigeratum, statim aquam inter cutim inducit, absq; eo, quod in durum tumorem attollatur. *Nulli igitur dubium esse debet, sanis hominibus frigidum potum ita conuenire, vt superius dictum est, summe autem frigidum plurimum obesse, & licet Nicolaus Monardes Hispanus medicus grauissimorum Doctorum auctoritatibus suadere nitatur, niuis vsum, ac summè frigidum potum conducere, qua ratione multi non*

solum ex Hispanis, sed ex alijs etiam Nationibus eius opinioni libenter adhærentes non solum frigidissimo vtuntur potu, niue inquam ipsa vinum diluunt, vel aqua ex gelu vtuntur, sed etiam acetarium, ac fructus omnes, siue horarij & fugaces sint, vt pepones, melopepones, cucumeres, & alia huiusmodi, siue ex arboribus colligantur, & solidæ sint substantiæ, vt pyra, poma, punica, & similia niue refrigerare curant, & nihil ipsis satis frigidum videtur. Tamen si diligenter quæ à Monarde dicuntur, perpendantur, clarum est plurima ex ipsius scriptis præter rem esse, aliqua vero veritati repugnantia, quare iure merito affirmandum puto, magis Christophori à Vega Hispani pariter medici celeberrimi, qui Regis Philippi, & Regiæ ipsius Aulæ medicus fuit, sententiam sequendam esse, qui hæc scribit in secundo de arte medendi lib. sect. 3. cap. 1. dum obiter niuis abusum detestatur. Aqua ex gelu, aut niue perniciosa est, ideo in sanitatis custodia omnino fugienda est, præterquam valde æstuanti stomacho, quem potius curare, quam conseruare sit opus, nam nec his est satis tuta, ob circumstantia membra: Verum hac nostra tempestate, inter magnates, veluti pestis quædam perniciosa, suborta est consuetudo, apud quosdam æstate tantum, apud alios omnibus anni temporibus diluendi vinum niue: cum tamen ex frequenti niuis vsu, aut solius, aut vino mistæ maximum imineat periculum hydropis, ac mali habitus ex iecoris, & ventris imbecillitate, & coli dolores: quod si eorum aliqui ab his, & similibus malis liberantur, hac vna tantum ratione sibi euenire putent: quod pari modo incontinentes sunt in vsu calidorum, vt piperis, gingiberis, cinnamomi, & mellis, quæ omnia niuis malitiam aliquatenus corrigunt: sed vtrumque excessum, vt mortife-

rum damno, doleo tamen nostri æui calamitatem: Video enim luem epicuream deuastasse primũ Germanos, deinde Belgas, & Gallos, nunc Hispaniam quoq; in Tyrannidem tenere, antiqua Hispanorum continentia sepulta. *His omnibus addo fucatam esse voluptatem illam, quam hi ex immodica potus frigiditate percipere affirmant, Tum quia multorum malorum ipsis causa esse solet, vt superius dictum fuit, cum etiam quia gustus sensorium ita afficit, vt eius operationem impediat, & gelidum potum non vt gustabilis, sed potius prout tactilis est, percipere valent. Quomodo enim aliquis veram potus voluptatem se se percipere affirmare audet, dum gustus operatio, quæ est saporum apprehensio à summo frigido læsa est, quatenus ipsius sensorium ob huiusmodi frigiditatẽ obstupescit, & tamen ea potus ratio esse deberet, præsertim in sanis, vt suauis sit, et modicè potens, suauitate enim gustum delectat, potentia olfactui gratus redditur, ventriculumq; roborat. Concludendum itaque prouidam naturam in potu sequendam esse, quæ non deficit in necessarijs, et ita frigidum potum quolibet anni tempore subministrat, vt ad extinguendam sitim sufficiat, nec minimam noxam afferre valeat, sed quoniam contingere solet, vt æstiuo tempore frigidus potus à natura subministratus ratione calidioris ambientis suam naturalem frigiditatem amittat, refrigerantium vsum ita necessarium esse puto, vt huiusmodi naturalem frigiditatem conseruare valeamus, vel si ratione calidioris ambientis diminuatur frigidorum vsu restituamus, & si accidat, vt aliquibus in locis frigida aqua, vt probabilis fons subministrare solet non inueniatur, vt ex Hipp. lib. de aere, aquis, & locis, part. 2. In meridionalibus regionibus contingit, ita aqua refrigeranda erit, vt inter teporem, & ferientem frigiditatem*

tatem medium teneat, quemadmodum etiam veritati, ac rationi consonum esse existimo, si eueniat vt in aliquibus frigidioribus regionibus, ratione frigidioris ambientis potus nimis refrigeretur, calidorum vsu ita conseruare nitamur, vt natura ipsa subministrauit, vel si opus sit extranea frigiditas à frigidiori ambiente introducta ita expellitur, vt potus ad suam naturalem consistentiam redeat, summe enim frigidum, quolibet anni tempore naturæ valde inimicum iure affirmandum est, adeo vt contra eos, qui gelido vtuntur potu hyemali præsertim tempore nihil aliud dicere possim, nisi maxima commiseratione dignos esse, cum plurimum ægrotare credendum sit, eorumque viscera adeo exusta esse, vt frigidum ambiens, quod eorum corpora circumdat, frigidaq; ipsius ambientis respiratio satis esse non posit ad eorum exustionem coercendam; Si enim elementorum commoderatione fruerentur, & sani essent, vtique gelido potu non indigerent, & animaduerterent cum Aristotile vitam hominis sicut & aliorum animalium à calido, & humido sustineri, atque conseruari, à summe autem frigido dissipari, atque corrumpi. Vnde iure merito Seneca lib.4. nat. quæst. in fin. dum contra huiusmodi incontinentes inuehitur. At Dij boni, *inquit,* quam facilè est extinguere sitim sanam, *& paulò infra addit,* sitim istam esse putas? febris est: & quidem eo acrior, quod non tactu venarum, nec in cutim effuso calore deprehenditur; sed cor ipsum excoquit luxuria, inuictum malum, & ex molli, fluidoque durum, atque patiens. Non intelligis omnia consuetudine vim suam perdere? *deinde paucis interiectis, inquit,* Aliquid adhuc quærite illi frigidius, quia pro nihilo est familiaris rigor. *His omnibus addatur dubitationis cuiusdam solutio, quam aliquis afferre posset. Nam paulò superius*

rius diximus, cuiuslibet probabilis fontis aquam adeo frigidam esse æstiuo tempore, vt hominis, ac omnium animalium indigentiæ sufficiat: Aliquis obijcere posset probabiles fontes, vt plurimum in Montibus scaturiunt, & à Ciuitatibus, alijsque habitabilibus locis non parum distant, ergo necesse est ex itineris longitudine, aquam illam, quæ in fontis exortu satis frigida est, & nulla arte indiget, vt magis refrigeretur, cum ad Vrbes, siue alia habitabilia loca æstiuo tempore peruenerit calidiorem fieri, ita, vt in habitabilibus locis probabiles fontes non reperiantur, & aqua satis frigida dici non possit. Huic obiectioni respondeo, quamlibet aquam à probabili fonte scaturientem, etiam si ad vrbes, & alia loca, e longinquo ducantur, non solum suam naturalem frigiditatem conseruare si aquæductus profundi satis sint, vt fieri solet, sed aquam ex longo cursu perfectiorem fieri: si autem accidat, vt aliquibus in locis aquæductus non profunde subterranei sint, & ideo ob frequentes solis radios aqua incalescat, hoc casu, vel cisternina aqua, vel putealis, vel fluuialis ex vsu esse poterit, vel etiam eadem fontis aqua non satis frigida refrigerari ita poterit, vt in ea neque tepor, neque feriens frigiditas deprehendatur, talisque quemadmodum à probato fonte subministrari diximus.



Quibus

Quibus modis, potus non naturaliter frigidus æstiuo tempore refrigerari possit. Cap. V.



X hactenus dictis manifestè constat potum naturaliter frigidum, siue aqua sit, siue vinum, siue quælibet alia potulenta materia, qua nonnullæ Nationes ob vini caritatem vti consueuerunt, æstiuo tempore nulla indigere refrigeratione; optima enim aqua, siue fontana sit, siue Cisternina, siue putealis, siue fluuialis in subterraneo, & frigido loco asseruata, vt Romæ apud multos consuetum est, qui repositoria (conseruas vocant) in Cellis vinarijs construunt, in quibus Tyberinam aquam recondunt, quæ ita frigida esse solet, vt sitim sine vlla corporis noxa extinguere, ac humidam corporis substantiam restaurare facilè possit, quemadmodum etiam vinum in optima cella reconditum, siue quælibet alia potulenta materia idem præstare valet; Verum quoniam potus, vt superius dixi, ratione calidioris ambientis eo temporis interuallo, quod inter cœnandum, ac prandendum fluit, suam naturalem frigiditatem amittere facilè potest, vel etiam, quia interdum contingit, vt aliquibus in locis optima, ac perfecta aqua, ac optimæ cellæ vinariæ non reperiantur, & fit, vt aqua, & vinum eos frigiditatis gradus non habeant, qui naturalem sitim explere possint, ideo ad optimi, & naturalis potus frigiditatem conseruandam, vel reuocandam, vel introducen-

dam

dam, refrigerantium vsus necessarius est, & hinc à diuersis Nationibus varij refrigerandi modi antiquitus etiam inuenti fuerunt, vt in præcedenti Capite paraphrasticè narrauimus, de quibus omnibus fusius in præsenti differendum esse censui; quatuor itaque præcipuos refrigerandi modos apud antiquos reperio, quibus quintus etiam à Neotericis additus est.

Primus refrigendi modus est cum aere, vel naturaliter frigido, vel arte frigefacto, idque diuersimodè factum fuisse constat, vt etiam hac nostra tempestate fieri contingit. Galenus enim in lib. 6. de morbis vulgaribus com. 4. super tex. 10. modum affert, quo Aegyptij vtebantur ad refrigerandum cum aere, dicens, Porrò in Alexandria, totaque Aegypto, ipsos aquam in Testaceis quibusdam vasis hoc modo refrigerare conspexi. occidente sole aquam prius calefactam in vascula fundebant: deinde sublime totum hoc vas in fenestris vento aduersis, vt ibi per totam noctem refrigesceret suspendebant: postea ante solis ortum vas humi depositum frigidam aquam circumspargentes, frigida etiam folia toti vasi circumdabant, nonnunquam vitium, aut lactucæ, nonnunquam verò & aliarum id genus herbarum, vt frigus id, quod sub nocturno aere acquisiuerat, diutius permaneret: multo vero magis ad huiusmodi apparatum, cum optimæ aquæ ipsis facultas non esset, deuenere. *Non absimilem refrigerandi modum Athenæus etiam lib. 3. deipnos refert indicasse Pitagoridē lib. 2. Comicarum historiarum his verbis.* Interdiu aquam insolantes, & sub noctem, quod crassissimum erat colo secernentes, reliquum vrnis fictilibus exceptum in excelsissima ædium parte sinunt, pueris duobus tota nocte vrnas aqua irrigantibus, diluculo vero vrnis deorsum reuectis,

& fæ-

& fæce, quæ ſidit, rurſum detracta, aqua ſic extenuata, & ad tuendam ea ratione bonam valetudinem maxime idonea, vrnas in paleis recondunt, & aquam ſic purgatam bibunt, niue prorſus nihil egentes: *Quem refrigerandi modum poſt aquæ inſolationem refert etiam Ariſtotiles libro primo Meteor. ſumm. 3. cap. 2. Præterea fuerunt aliqui ex antiquis, qui ad refrigerandum cum aere, ſpecus excauare conſueuerunt. Athenæus enim lib. ſupracitato narrat Semum Delium lib. 2. Naſiadis ſcripſiſſe in Cimulo Inſula, per æſtatem frigidarias ſpecus effodi, in quibus aquæ tepentis æſtu plena dolia reponunt, illam deinde haurientes niue ipſa non minus frigidam; fuerunt etiam aliqui, qui œnophora vitrea, ſtamnea, vel enea, vel argentea, vel teſtacea vino repleta in ciſternis, vel puteis ſuſpenderunt ita, vt aquam nullo modo tangere valerent. Aliqui vero inter commedendum vas potulenta materia recenter extracta repleri, deinde madefacto linteo validum ventum commoueri curarunt, vt potus refrigeraretur. Denique aliqui conſueuerunt vtres aqua plenos ſuſpendere, eoſque aſſiduè vento agitare, ex quibus refrigerandi modis his etiam temporibus aliqui in vſu ſunt, ſpecus enim excauare non ſolum ad vini refrigerationem, ſed etiam conſeruationem Romæ, alijsque in locis maximè conſuetum eſt, & in Vrbe præſertim apud Magnates in Montibus frequentiſsimas ſpecus ad id conſtruere ſolent, quemadmodum etiam in vſu eſt œnophora vino repleta in feneſtris Aquiloni aduerſis hyemali præſertim tempore exponere, eaque æſtate in ciſternis, ac puteis, ita ut aquam non tangant dimittere; Vnum hac noſtra tempeſtate prætermittunt, aquam igne, vel ſole præcalefacere ante refrigerationem, vt antiqui conſueuerunt, quod factum arbitror, quia multis ab hinc annis vini maxima*

xima vbertas vbique reperitur, ita ut omnes fere Nationes vino abundent, & modica aqua vtantur. Antiqui autem cum non ita vino abundarent, eorumq; vina potentissima essent, & plus aquæ ferrent, immò pleriq; abstemij essent, curam maximam adhibebant in aquæ depurationem, præterquam quod rationi consonum videtur, in ijs præsertim locis hanc diligentiam adhibitam fuisse, in quibus pura, ac perfecta aqua non reperiebatur, licet qualibet aqua ex coctione semper perficiatur, nec verum sit, vt aliqui affirmant, tenuiores partes resolui, crassiores vero remanere, quia aqua, vt inquit Auicenna 2. p. doct. 2. cap. 16. in suæ aqueitatis diffinitione existit ex partibus in subtilitate, & spissitudine similibus, quia est simplex.

Secundus refrigerandi modus est, cum in aquam vel fontis, vel cisternæ, vel putei, vel fluminis, vel torrentis vasa demergimus potulenta materia repleta, si intentius refrigerare velimus, si mitius in aliquam portionem aquæ ab eisdem locis recenter extractam, ac sæpius immutatam, in qua ipsos etiam calices potu repletos, si citius refrigerare voluerimus, immergere possumus, vel etiam si maiorem refrigerationem ab aqua expetamus, vasa potulenta materia iam repleta fluenti aquæ exponenda erunt, vel vt eadem vasa ab aqua irrigentur, arte curare poterimus.

Tertius refrigerandi modus, & valde antiquus est niue, vel glacie refrigerare, idque vel mediatè, vel immediatè, adeo enim aliqui ex veteribus incontinentes fuerunt, vt niuem ipsam, & glaciem potarent, vt ex ijs Plinij verbis intelligere possumus, lib. 19. cap. 4. quæ superius attulimus. Seneca lib. 4. Nat. cap. vltimo post alia multa, quibus contra huiusmodi homines incontinentes inuehitur ait, niuem tunc temporis eo peruenisse vsu, vt aquæ locum obtineret. Hipp.

lib. de

lib. de aere, aquis & locis refert, Scytas aquam à niuibus, & glacie resolutam bibere consueuisse: Periclites Græcus historicus apud Athenæum affirmat suo tempore in vsu fuisse niuis potum non solum in Ciuitate, sed in exercitu: Eutiches in vna suarum Epistolarum reprehendit sui temporis homines, quibus satis non erat potu niue refrigerato vti, sed niuem ipsam potarent: Xenophontes multos memorat, qui semper niuis aquam potabant; nec desunt alij multi grauissimi Auctores, qui idem testantur, licet communis refrigerandi vsus apud antiquos fuerit, potulentam materiam niue, vel glacie mediantibus refrigerare, vt modo in vsu est, & de dictis omnibus refrigerandi modis manifeste verba facit Galenus in lib. 6. de morbis vulgaribus com. 4. super textu 19. dum de aquis arte paratis sic loquitur: Etenim fit ipsa decoctio, & postea refrigeratio, aut per ambientem nos aerem, aut vento aliquo, aut in ædibus frigidum aerem includentibus; sunt enim domus quædam frigidis speluncis persimiles. Interdum, & per humida refrigeratio acquiritur, vt per niuem circumdatam: aut si sub fonte rapide labente ponatur: aut in puteo, idque bifariam, nonnunquam quidem in ipsam putei aquam nobis vasculum demittentibus in quo aqua calefacta continetur, nonnunquam vasculum super aquam suspendentibus, *hæc Galenus. Cōstat itaque potus refrigerationem antiquissimam esse, & quoad refrigerandi modum cum niue, certum est apud Aegyptios primo inualuisse. Plutarchus enim in opusculo de tuenda valetudine non solum testatur in Aegypto ab antiquo tempore in vsu fuisse niuis conseruandæ modum ad potus refrigerationem, sed ipsos huiusmodi consuetudinis inuentores fuisse. Neque hoc mirum, quia in illis regionibus, cum maximus vigeat calor, vrgebat etiam magis ne-*

cessitas huiusmodi refrigerandi modum inueniendi; atque in ipsis Castris eundem fuisse refrigerandi usum, ex ijs compertum esse nobis potest, quæ de Alexandro in obsidione petræ commorante superius ex Athenæo citauimus; iure itaq; merito Pontianus affirmauit, vt ibidem testatur Athenæus veteribus aquæ valde frigidæ potum ignotum non fuisse, quam aquam ante refrigerationem, vt testatur Gal. 7. Methodi ex Neronis inuentu prius feruefaciebant, vt citius, ac intensius frigiditatem reciperet, ac salubrior etiam euaderet, vt superius Tertio huius operis capite docuimus.

Quartus refrigerandi modus apud Priscos indicatur à Plutarcho lib. 6. Symposiacon quæst. 5. dum causam inquirit ob quam lapilli, cotes, & plumbea lamina in aquam iniecta eam frigidiorem faciant, his enim omnibus vtebantur etiam prisci ad refrigerandum.

Quintus modus veteribus ignotus fuit, & est cum Halinitro, quemadmodum nautæ, ac maritimi homines inuenerunt ob summam potum refrigendi necessitatem, cum ij in summo æstu, ac flagrantis Syrij ardore mari longissima sæpe itinera facere cogantur, fitque huiusmodi refrigeratio infusa certa halinitri parte in determinatam aquæ quãtitatem, ut puta in centum aquæ libras, puri halinitri libras 24. infundere solent, hunc ordinem adamussim seruando, primo scilicet ex tribus halinitri partibus, duas partes in dictam aquæ quantitatem infundunt, deinceps immissum in aquam ligneum pistillum sensim in gyrum vertunt, tardè primum, deinde paulo concitatius, ac tandem frigore augescente celerrimè circumagunt, semperq; in eandem partem, moxque frigiditate insigniter aucta, quod tactu percipitur, ex reliqua halinitri parte, dimidiam partem addunt, nempe libras quatuor, ac denuo pistillo circumagunt, vltimo alias quatuor

quatuor libras ſuperaddunt, ac tandiu circumagendo durant donec aqua ad ſummum frigiditatis gradum peruenerit, quo tempore phialas vino, vel aqua plenas, ſiue oenophora in ipſam ſic refrigeratam aquam immergunt, ſiue circumducunt, & vtroque modo potulentam materiam intensè admodum refrigerant.

Verum quoniam quærere aliquis poſſet, quo nam pacto contingat, vt halinitrum calidum cum ſit initio tertij gradus, & ſiccum tertio, vt vult Ioannes Meſue lib. 2. cap. 17. & eſt communis ſententia, aquæ infuſum, ac circumductum intensè refrigerare valeat, propterea ei ſatisfacere operepretium eſſe duxi.

Reſpondeo itaque hac in re quatuor opiniones huc vſque apud Recentiores fuiſſe, prima fuit Piſanelli Bononienſis medici in calce ſui libri de natura ciborum, & potus, qui aſſerit, apud Nauicularios halinitrum etiam in vſu eſſe ad refrigerandum, ſed diminutè id præſtare, nec aliam ob cauſam refrigerare, niſi quia ob violentum eius motum aquæ partes à centro ad circumferentiam redactæ aerem, circumſtantiaque corpora refrigerant. Aer enim inquit ſuperficiales aquæ partes calefacit, vt apparet in vini phiala admodum in aqua agitata, qui modus, vinum aſſare dicitur. hæc Piſanellus.

Secunda opinio fuit eruditiſſimi Maſini Cæſenatis medici lib. 2. de gelidi potus abuſu cap. 5. affirmantis, quod licet halinitrum, cum potentia calidum ſit initio tertij, & ſiccum tertio non poſſit per ſe circumductionis motu aquam intenſius refrigerare, tum quia tantam actualem frigiditatem non habet, vt id praeſtare poſſit, cum etiam quia poteſtate refrigerans medicamentum non eſt, id tamen per accidens efficere poſſe affirmat, quatenus vapores, qui in aqua

ſunt

ſunt exhalare facit, ita ut circumductionis motus duo ſimul præſtet, diſponat ſcilicet aquam ad vapores deponendos, quatenus ipſam attenuat, & halinitrum ad eoſdem depellendos, quatenus potentialem illius caliditatem ad ſufficientem actualem deducit.

Tertia opinio eſt aliquorum aſſerentium aquæ frigiditatem ex halinitri permiſtione iccirco intendi, quia aqua ratione iſtius permiſtionis denſior fit, ac in denſiori ſubiecto intenſior frigiditas fundatur, id quod exemplo ipſiuſmet aquæ comprobare nituntur, quæ quo magis ad glaciei naturam tendit, eo intenſiores frigiditatis gradus concipit.

Quarta opinio eſt eorum, qui exiſtimarunt aquam frigidiorem reddi ab halinitro in ea circunducto per Antiperiſtaſim, quatenus ſcilicet aquæ frigiditas ab halinitri calore tamquam à ſuo contrario congregatur, & hinc aqua frigidior redditur.

Harum opinionum nulla veritati conſona videtur, niſi quarta opinio eo modo quo inferius declarabimus. Prima enim Piſanelli opinio ſuſtineri non poteſt, quia licet halinitrum aquæ admiſceatur, quæ æqualiter quo ad frigiditatem ſecundum omnes ſui partes ſe habeat, nihilominus ex circumductionis motu, cum huiuſmodi aqua tota, & ſecundum omnes ſui partes frigidior reddatur, vt experientia notum eſt, falſo aſſeritur halinitrum ideo refrigerare, quia frigidiores aquæ partes à centro ad circumferentiam ducantur: praeterea cum ex circumductionis motu non ſolum omnes aquae partes circumferantur, tam quae ſunt in ſuperficie, quam quae in centro, ſed & ad inuicē commiſceantur, non eſt maior ratio cur partes aquae in centro exiſtentes ad circumferentiam ducantur, quam quae in ipſa circumferentia erant, nec à veritate alienum exiſtimandum, eo

tempore

tempore quo omnes aquæ partes adinuicem commiſcentur, ſimul etiam, ac eodem modo refrigerari, cum ex miſtione, & contactu, actio ac paſſio ad inuicem ſequantur, ac vna et eiuſdem rationis frigiditas reſultet, et vt ſummatim dicam, ſcire cuperem, quomodo halinitrum trahat frigidiores aquæ partes à centro ad circumferentiam, an vt frigidum actu, an vt calidum potentia, certè nullo iſtorum modorum hoc præſtare poteſt.

Quoad ſecundam Maſini opinionem, nec eam recipi poſſe credo, quia ſi halinitrum refrigeraret, quatenus ſua potentiali caliditate calidos aquæ vapores exhalare facit, ſequeretur primo potentialem eius caliditatem abſque ſui actuatione agere, quod eſt abſurdum. Secundo ſequeretur ex miſtione halinitri aquam prius incaleſcere, quod experimento repugnat. Neque aqua manente ſecum calido halinitro, ad frigiditatem reuerti poſset, ſicut nec quid aliud preſente contrario.

Nec tertia opinio rationi conſona videtur, nempe quod aquæ frigiditas ab halinitri permiſtione iccirco intendatur, quia aqua denſior fiat, & in denſiori ſubiecto frigiditas magis intendatur, cum exemplo pro hac opinione fulcienda allato, licet enim hæc opinio vera eſset, ſi aqua vi congelationis denſior fieret, vel id accideret ex permixtione alicuius rei denſandi vim habentis, eiuſque temperamentum frigidum actu, ac potentia eſſet, ſed cum halinitrum actu non ſit ità frigidum, vt aquæ permiſtum ſola ſua actuali frigiditate eam denſare valeat, ac potentia cum calidum ab omnibus ſtatuatur, vtique nullo modo aquam denſandi, eamque magis refrigerandi vim habebit.

Quarta autem opinio licet à veritate aliena non videatur, aliquam tamen difficultatem habet, nam cum actio, quæ

per antiperistasim fit, necessario contrarij circumsistentiam requirat, ac permistionem excludat, ex eo quia in tali actione vnum contrariorum propellit, aliud vero propellitur, siue se substrahit, ideo perquirendum est, quomodo halinitrum aquæ permistum per antiperistasim refrigerare valeat, & eo magis, quia Aristoteles lib. 4. Meteor. cap. 2. de grandinis generatione agens, ait, grandinem fieri per circumsistentiam calidi. Præterea præsupposito etiam, quod inter duo contraria simul mista posset fieri antiperistesis, quod est absurdum, nihilominus inter halinitrum, & aquam hoc contingere non posset, cum ex Aristotele 1. Meth. omne quod agit, eatenus agat, quatenus in actu est, non autem in potentia; halinitrum autem cum calidum sit in potentia, non autem in actu ex Communi sententia, per viam antiperistasis refrigerare non posset, sed actualis eius caliditas requireretur, vt talis actio fieret, quæ neque sufficeret, etiam si intensissima esset, cum experientia notum sit, quod si quis plures ignitos lapides, siue globos ferreos ignitos in gelidam aquam proijciat, non solum talem aquam frigidiorem non faciet, vt in antiperistasi contingit, quin potius calidiorem experietur; quod si quis hoc negare audeat, vtique sensum ipsum rationis totius ducem negabit. Concludendum itaque actiones, quæ per viam antiperistasis fiunt, necessario contrariorum mistionem excludere, ac alterius contrarij circumsistentiam, ac extrinsicitatem requirere, quare halinitrum aquæ mistum, ac circumductum, aquam per antiperistasim refrigerare non poterit.

Quid ergo hac in re statuendum erit, nam quod halinitrum aquæ permistum, ac circumductum intensè refrigeret, experientia ipsa docet, quærendum itaque qua ratione id contingat.

Dico

Dico igitur halinitrum verè per antiperistasim id præstare, ac etiam quia ex eius permistione aqua crassior fit, sed quomodo id contingat, enodabimus.

Præsupponendum primo est aquam inter omnia elementa ex sui natura frigidissimam esse, ac præter actualem eius frigiditatem, potentialem etiam frigiditatem habere.

Præsupponendum secundo halinitrum ex aqueis partibus admodum crassis, ac terrestribus, ac ex putri, ac terrestri exhalatione conflatum esse, quod vt planum faciam, sciendum est, halinitrum conficiendi modum huiusmodi esse. Accipiunt fimum, siue domorum sordes, siue alia vetusta cæmenta addita simplicis terræ portione, mox in canalem ex lapidibus constructum, siue in ligneum vas immittunt, aquam certa proportione superinfundendo, quæ per horæ saltem interuallum sic mista permaneat, deinde paulatim egredi permittunt, aqua egressa eam in æneis lebetibus eo vsque efferuescere sinunt, donec cocta ita sit, vt si per aliqua foramina percoletur, statim coalescat, ac densa permaneat, ita vt diuersa halinitri frustula albi coloris statim conspiciantur: sic halinitrum conficiunt, adeo vt notum satis sit ex aqua, ac terrea & putri exhalatione constare.

His praesuppositis dico, halinitrum in aquam infusum, & circumductũ, per viam antiperistasis refrigerare, quatenus calidæ illæ partes ex putri materia, quas continet, frigidas partes aquæ, quibus miscentur, per contrarietatem quam vincere non possunt, intentiores reddunt, ipsoq; motu circumductionis in se magis attenuantur, & per consequens leuiores euadunt, sursumq. statim ascendunt, & euaporantur. Vnde Aristotiles lib. 4. Meteor. summa 2. cap. 3. Nitrum, & sales, *inquit,* solubilia humido: non omni autem, sed frigido, nempe aqua. *Accedit, quod cum eadem aqua ob*

dissolutionem aquearum partium halinitrum componentium crassescat, ac densentur, hinc etiam aquæ frigiditas intenditur, quatenus in densiori subiecto intensior frigiditas fundatur. Et ad facilius demonstrandum, quomodo à terrestri, & calida halinitri exhalatione, quæ per aquam fertur, aquæ frigiditas intendatur, dico id eadem ratione euenire, qua ignis caliditas ob modicam aquæ aspersionem intenditur, sicut enim id ex eo contingit, quia ignis calor ratione sui contrarij retrahitur, & fortior fit, ita & non absimili ratione aquæ frigiditas ab halinitri permistione intenditur, ac augetur, quia ex modica eius exhalatione, se subtrahit, ac congregatur; ita vt ad hoc, vt ignis caliditas intendatur, & frigiditas in aqua augeatur, modica quædam, ac determinata contrarij vis, ac impetu quodam erga suum contrarium se obijciens, requiratur, alias antiperistasis, quæ nihil aliud est, quam vnius contrarij propulsio, ac alterius subtractio, fieri non posset, sed potius actio, ac passio ad inuicem sequeretur; cum enim duo contraria æqualia in virtute existunt, aequalis ad inuicem fit actio & passio, si vero aliud contrariorum fortius sit, suum contrarium vincit, & in sui naturam conuertit, seu suas qualitates inteóducit. Adeo, vt si aqua in ignem aspersa, vel halinitri exhalatio per aquam transiens, eiusmodi esset quãtitatis, & virtutis, vt aqua ignis calorem, vel exhalatio aquæ frigiditatem remittere, vel superare poßet, vtique antiperistasis non fieret, sed potius actio, & passio ad inuicem sequeretur. Constat itaque ex dictis halinitrum per antiperistasim refrigerare, & ex eo, quia ex eius permistione aqua densior fit. Id quod experientia etiam comprobatur, si quis enim halinitrum in aqua infundat, manifestè conspiciet, statim ab eo calidos, & siccos vapores per aquam

exha-

exhalare, sicut etiam & ipsam aquam tractu temporis crassiorem, siue densiorem fieri. Hæc est mea sententia, quoad halinitri refrigerationem, quam si quis vt rationi minus consonam reijcere voluerit, ac meliorem sententiam in medium attulerit, libenter recipiam.

Qui refrigerandi modus sanitati magis conueniat. Cap. VI.



T facilè vnusquisque cognoscere valeat, qui refrigerandi modus salubrior sit, illud tanquam firmum, & solidum fundamentũ præoculis habere debet, eũ potum naturæ innoxium esse, qui excedentem, seu ferientem frigiditatem non habet, huiusmodi enim potus, gustus operationem, quæ est saporum apprehensio, non impedit, ventriculũ non lædit, nec vlli corporis parti, vel minimã noxam infert; E contra gelidus potus, sua feriente frigiditate gustum adeo lædit, vt potum ipsum, non vt gustu, sed vt tactu tantum sensibilem percipiat, ac malorum omnium auctor sit, vt superius dictum fuit; Nec mirum quia, quemadmodum sanitas certa primarum qualitatum moderãtia, ac symmetria conseruatur, ita ea omnia, quæ huiusmodi moderantiam, ac simmetriam, vel minuendo, vel augendo tollunt, sanitatem destruunt, & propterea iure meritò Hipp. 2. Aphor. Aphor. 51. affirmauit, plurimum, ac repentè refrigerare malum esse. Auicenn. autem 1. cant. fen. 2. doct. 2. cap. 18. dixit, aquam temperate frigidam sanis meliorem esse omnibus

 aquis,

aquis, & non alia certè ratione, quam quod corporis symmetria à temperato frigido conseruatur, ab excedente corrumpitur. Sed hic quærere posset aliquis, quonam modo cognosci possit temperata frigiditas, ac excedens; cui interrogationi respondeo vt superius tetigi, temperatam frigiditatem eam esse quæ cuilibet aquæ æstiuo tempore naturaliter inest, siue fontana sit, siue cisternina, siue putealis, siue fluuialis in subterraneo loco recondita, dummodo huiusmodi omnes aquæ à probatis fontibus, cisternis, puteis, ac fluminibus originem ducant, quemadmodum etiam vinum temperate frigidum illud reperitur, quod à dolijs in optimis cellis vinarijs asseruatis extrahitur. Quæ autem cõditiones requirantur ad probatum fontem, vel ad alia supranarrata loca aquam continentia, ac etiam ad optimam cellam vinariam, satis constat ex ijs, quæ in quarto huius operis capite dicta fuere, & fusius etiam inferius dicitur cap. de bonitate, & vitio aquarum. In istis itaque locis natura ipsa potum temperate frigidum subministrat, si autem in eius præparatione artificiosum quid molimur, ac in refrigerando naturæ limites excedimus, siue niue, siue glacie, siue aliorum refrigerantium vsu id faciamus, huiusmodi introducta frigiditas excedens, ac feriens dici debet, adeo, vt si talis fiat excessus, vt potus gelidus reddatur, is potus breui temporis interuallo sanitatem corrumpat, vel naturalem calorem diminuendo, vel eum præter naturam nimium augendo. In imbecillioribus enim sæpè accidit, vt à gelido potu calor naturalis minuatur, interdum vero, vt omninò destruatur, in fortioribus enim, quatenus gelidi potus occursus per antiperistasim naturalem calorem colligit, ipsumq; difflari prohibet, viscera adeo incendit, vt ijs, qui tali potu vtuntur, nihil satis frigidum esse videatur, quinimo sem-

per

per gelidioris potus appetentia in ipsis inualescat, quod non accideret, si potu, vt naturæ placet vterentur; Quare quilibet in potu naturam ipsam sequi debet, & si accidat, vt à circumfuso extrinseco aere potus alteretur, frigidorum vsu naturam ipsam imitando ad naturalem statum reuocet, vel eisdem medijs in eodem naturali statu conseruare nitatur; naturalis autem frigidi potus status, vt supra cap. 4. retulimus, describitur à Gal. 10. Meth. c. 11. his verbis. Esto preparata in labro aqua frigida, ea frigiditate, quæ nullam euidentē qualitatem, nec prorsus frigidarum, nec tepidarum præferat, sed qualē ea, quæ fontana vocatur, quæ & frigoris, quod tāquam ferit, & teporis, qui resoluit, est in medio, *quæ descriptio secundū Hipp. mentē omnino uidetur, qui semper in potu mediocritatem, quoad calidum, & frigidum seruandam præcipit. His sic constitutis dico quemlibet refrigerantium vsum sanitati nullo modo obesse, si ijs ita vtamur, vt potulenta materia medium inter duo extrema teneat, nempe inter teporem, & summè frigidum; verum quoniam medium interdicta extrema attingere, dum arte potum paramus, difficile admodum esse sentio, ideo antequam de tutiori refrigerandi modo agamus, omnes monitos esse volo, longè melius esse ad sanitatem tuendam æstiuo tempore aqua ex probato fonte, vel cisterna, vel puteo, vel vt loquuntur conserua recenter, ac sæpius hausta inter comedendum vti, si commodè id fieri possit, ac pariter vino ab optima cella idemptidem desumpto, quam quemuis refrigerandi modum quærere, cum huiusmodi aqua, ac vinum à natura ipsa eos frigiditatis gradus habeant, qui temperatum potum, ac omninò innoxium efficiunt. Hoc monito inter refrigerandi modos superius narratos, refrigerationem cum aere, ac recenti aqua tutiorem esse existimandum est,*

his enim modis medium inter teporem, & summè frigidum excedere non facilè erit, vt contingit dum niue, vel glacie refrigeramus; si autem accidat ob locorum distantiam à quibus aqua, vel vinum hariuntur, vel ob summum æstum, vt aer, & aqua ad refrigerandum satis esse non possint, propterea quod potulenta materia à calido admodum ambiente satis incalescit, vt Romæ, multisq; alijs in locis æstiuo tempore contingere solet, ad niuis, & glaciei vsum deuenire, non improbandum esse censeo, dummodo extrinsecus ad refrigerandum his vtamur, & ea ratione, qua superius dixi, nempe ad conseruandam potus naturalem frigiditatem, vel restituendam, vel introducendam, si opus sit. Niuis autem & glaciei vsus, siue ipsis absolute vtamur, siue cum alia potulenta materia misceamus, etiam in summo æstu nullo pacto conducere potest, tum ob nimiam frigiditatem, cùm etiam ob eius terream, ac prauam substantiam, nam ad niuis, & glaciei generationem, non solum aqueus vapor, sed maxima terreæ exhalationis quantitas requiritur, secus enim nix, & glacies generari non possent, sed pluuia perpetuo fieret, hinc Auerroes lib. 4. Meth. comm. magno asserebat duo requiri, vt aqueæ res à frigido concrescant, vnum, vt earum calor à frigiditate peruincatur, aliud, vt pars illarum terrea non pauca admodum sit, quinimo affirmandum etiam existimo, purissimam ac defecatam aquam conglaciatam, ac postmodum dissolutam prauam dicendam esse, idque propterea quod, vt docet Aristoteles 4. Meth. summa secunda cap. 1. & 2. frigidum, dum aquam concrescit, exiccat, concretio enim exiccatio quædam est, quare fit, vt in huiusmodi concretione, seu exiccatione tenuiores partes resoluantur, & hinc dissoluta aqua, etiam, si ante congelationem purissima fuisset, praua efficitur, quod testatur etiam

Hipp.

Hipp. lib.de aere, aquis, & locis cap. 2. vbi affirmat, aquas ex niue, & glacie productas, cum semel concretæ fuerint, non amplius ad pristinam naturam redire, quia id, quod in ipsis clarum, ac leue, & dulce est, excernitur, ac disperditur, quod vero turbidissimum est, ac ponderosissimum relinquitur, idque hoc modo cognosci posse indicat, si quis vas certa aquæ mensura repleat, deinde eum sub dio hyemis tempore exponat, quo maximè congeletur, ac postridie in calidum locum transferat, vt aqua dissoluatur, post dissolutionem si quis huiusmodi aquam metiatur, longè pauciorem inueniet, idque ex eo, quia à congelatione id, quod leuissimum, ac tenuissimum est, disperditur, quod docet etiam Galenus lib. de vtilitate respirationis, fieri dicens ex aqua glaciem expressione aeris, qui in ea erat, ita vt iure meritò Plinius lib. 31. cap. 3. asserat ex niue, & glacie pestilentissimum potum esse conuenire. Quare ex hactenus dictis probare omninò non possum pulcherrimum Hieronymi Mercurialis clarissimi viri inuentum, qui dum medicinam apud Ferdinandum Magnum Etruriæ Ducem profitebatur, ad frigidum potum parandum sine vllo valetudinis detrimento, excogitauit glaciem ex pura, defecataq. aqua conficere, cuius glaciei portio pro potulentæ materiæ quantitate in ciathum mox potaturo inijceretur, sic enim contingere asserebat, vt potus affatim refrigeratus nullam noxam afferret, & hanc bibendi rationem Florentiæ tunc temporis summo omnium nobilium consensu receptam fuisse audio, & nunc etiam apud eosdem ex vsu esse percipio, sed vt superius dixi, hunc vsum omnino laudare non possum, quia licet tam modico temporis interuallo parum glaciei dissolui possit, tamen vt ipsius aliquid dissoluatur necesse est, & aquam illam ex glacie dissolutam, prauam esse ex dictis satis constat, quare niue,

& gla-

et glacie exterius tantum uti debemus ad naturalem aquæ, & vini frigiditatem conseruandam, si aqua, & vinum ea sint, quæ optimus fons, & optima cella vinaria subministrat, siue ad naturalem frigiditatem restituendam, si à calidiori ambiente aliquis naturalis frigiditatis gradus in aqua, vel vino extinctus fuerit, ac denique ad eam frigiditatem introducendam, quam optima aqua in seipsa continere solet, si accidat vt aliquibus in locis, ita frigida non reperiatur, vt nostræ indigentiæ æstiuo tempore satisfaciat, licet ob communem, & maximam ipsius necessitatem in quolibet habitabili loco natura adeo frigidam aquam parauerit, vt ad naturalis sitis extinctionem sine vlla corporis noxa sufficiat. Et quia vix fieri posse existimo, vt pluries dixi, ob intensam niuis, & glaciei frigiditatem, vt in refrigerando non excedamus, ideo in ea sum sententia tutum refrigerandi modum niue vel glacie esse, potulentam materiam, quando opus sit, aqua niue, vel glacie refrigerata frigidam facere, quod hoc modo præstari facilè poterit. Oualis figuræ frigidarium ex ære, vel stamno, vel argento, vel ex cocta terra construatur, frigidario hinc, atque hinc ansæ apponantur, atq; optimè occludatur operculo, in quo operculo tria rotunda foramina conficiantur, vnū in medio, quod maius sit, et in quod vas niue repletū imponatur, quod a frigidarij fundo duorum digitorum interuallo distet, alia vero duo hinc inde à lateribus construantur, ad quorum foraminum mensuram duo tenuia vasa operculata, ansataq; ex metallo, vel fictili, vel vitrea materia parentur, quorum circumferentia dictis frigidarij foraminibus equetur, oblonga vero adeo sint, vt frigidarij fundum pertingant, his peractis frigidarium aqua repleatur, dictaq; vasa vino, vel aqua repleta in eius foraminibus adaptentur, & ne inter-

cenan-

cœnandum, ac prandendum calidius ambiens niuis, vel glaciei vires refrangere, ac potulentam materiam excalefacere valeat, frigidarium duplicato, vel trilpicato linteo aqua madefacto cooperiatur, cuius magnitudo, sicut & vasorum ad libitum esse poterit, prout in cæna & prandio, maiori, vel minori potionis quantitate opus erit. Et quemadmodum contra calidius ambiens supradicta omnia machinari opus est, vt sanitatem tueri valeamus, ita & aduersus frigidius ambiens aliquibus in locis, & præsertim in occidentalibus, & septentrionalibus Regionibus hyemali tempore calidarium parare necesse est, alioquin potulenta materia breuissimo temporis interuallo ita refrigerari posset, vt ferientem frigiditatem consequeretur, & maximam noxam dentibus, ventriculo, neruosis partibus, ac toti corpori afferret. Hinc Iaponij hyeme contra gelidum potum ob summam ambientis frigiditatem calidaria parare consueuerũt, quæ Romam etiam asportarunt, dum ad Paulum V. Pontificem Maximum Legati à Rege Voxu anno 1615. transmissi fuere, quæ calidaria tam ingenioso artificio constructa sunt, vt ipse vidi, & vnusquisq; Romæ apud amplissimum Cardinalem Burghesium eiusdem Pauli V. nepotem videre potest, vt appareat non opus esse calidarium alterius formæ excogitare, cum satis commodè quilibet calidario ea arte parato in frigidioribus regionibus hyemali tempore potionem à summi frigoris iniuria vindicare facilè possit, cuius calidarij constructio, vt omnibus Nationibus nota fiat, non solum breuibus describam, sed eius figuram, sicut etiam et supra narrati frigidarij in fine huius Capitis apponam. Iaponiorum calidarium sic constructum apparet; eius forma, nec penitus quadrata, nec omninò oualis cernitur, longitudo enim eius est sesquipalmaris, latitudo palmũ non excedit, altitudo ad

se-

ſemipalmum extẽditur, ab altero ipſius capite ſphericũ vas ad ignem recipiendum ſitum eſt, quod eius fundum non tangit, ſed duorum digitorum ſecundum latitudinem interuallum relinquit, & in huius capitis latere rotundum foramen cum operculo minutatim perforato obſeruatur, vt per id ignis difflari poſsit, ne extinguatur; reliquũ corporis calidarij vacuum eſt, vt aqua repleri poſſit, & in medio ipſius corporis rotundum foramen cernitur, in quo vas operculatum potulẽta materia repletum ferè vſque ad calidarij fundum deſcendens imponitur, vt mediante aqua ab igne excalefacta, potus frigiditas expellatur; præterea manubrium habet, quo hinc inde ſecundum longitudinem calidarium annectitur, vt commodè transferri poſſit, fiſtula etiam ſurſum tendens in eodem capite, vbi ignis receptaculum eſt, id præſtat, vt per eam aliqua aquæ portio eijci poſſit, ſi quando contingat, vt calidior fiat, quæ poſtea à frigidiori aqua per ſupradictum foramen introducta attemperari poſſit. Præterea obſeruatur etiam huiuſmodi calidarium interius ſecundum totam eius capacitatem ſtamno oblitum eſſe, ignis autem receptaculum, ac vas, quod potulenta materia repletur, non ſolum intrinſecus, ſed etiam extrinſecus. Sic Iaponiorum calidarium conſtitutum apparet, quod maius, vel minus ad libitum confici poterit, prout maior, vel minor potulentæ materiæ quantitas requiritur. Quod ſanè calidarium eiuſdem etiam formæ parari poſset, cuius frigidarium ſuperius deſcriptum fuit, tria nempe foramina in eius ſuperficie confici poſſent, in quorum medio ignis receptaculum eſset, in alijs duobus vaſa vino, vel aqua repleta cum ſuis operculis introducerentur, fiſtulæ etiam ſurſum tendentes ab vtroque capite addi poſſunt, vt aqua nimis feruefacta eijci poſsit, et frigidior per vaſorum foramina ad tepefaciendum

intro-

introducatur, manubrium etiam addi poterit, vt supra descriptum est, illud tantum huic calidario addendum erit, nempe, vt operculum quo operitur ignis, perforatum sit, vt ignis expirare valeat, cuius calidarij figuram inferius cum aliјs figuris repræsentabo, vt id sibi quisq; ad libitum eligere valeat.

Quoad quartum refrigerandi modum cum halinitro, si necessitas vrgeat, vt in mari æstiuo tempore contingere solet, nec huiusmodi refrigerandi modus prætermittendus est, frigidus enim potus in summo æstu naturæ humanæ necessarius valde existit.

Auctoris Frigidarium.

A Frigidarij corpus indicat.
B Amplum foramen pro Niuario vase.
C Duo foramina pro vini, & aquæ vasis.
D Fistulæ hinc inde ad eijciendam aquam, si quandoque nimis frigefieri contingat, vt alia minus frigida addi possit.

Iaponiorum Calidarium.


A Corpus Calidarij indicat.
B Foramen in quod vas potulenta materia repletum.
C Foramen in quo ignis receptaculum situm est.
D Foramen pro ignis difflatione.

Auctoris Calidarium.


A Corpus Calidarij indicat.
B Foramen pro ignis receptaculo.
C Foramina pro vini, & aquæ vasis.
D Fistulæ ad eijciendam aquam, si nimis calida reddatur, vt alia aquæ portio ad eam temperandam introduci possit.

E Vas ad niuem continendam pro potus refrigeratione.
F Vasa pro vino, & aqua ad refrigerandi, vel calefaciendi vsum.
G Vas Iaponiorum ad potulentam materiam calefaciendam.
H Ignis receptaculum ad calefaciendum potum.
I Descriptorum Instrumentorum manubria indicat.

Auctoris Frigidarium.



Iaponiorum Calidarium.



Auctoris Calidarium.



Quomodo quis à noxa gelidi potus se tueri valeat, Et quando idem potus omnino fugiendus sit. Cap. VII.



VONIAM aliqui adeo incontinentes sunt, vt à gelido potu se abstinere non possint, nonnulli verò, vt ad omnia aptissimi videantur, cum amicis interdum epulantes, inuiti etiam eodē potu vtuntur: ea enim hac nostra tempestate percrebuit consuetudo, vt non solum in lautis Principum Virorum cœnis, sed in priuatis etiam æstiuo præsertim tempore nihil magis ad delitias affectent, quàm gelidum potum sumere, eumque eo delicatiorem existimare solent, quo frigidiorem percipiunt, adeo vt frustra reliqua omnia prætiosa cibaria in cœna, vel prandio parata censeantur, nisi potus niue admodum refrigeratus adsit; Propterea breuiter, quid agendum sit ad fugiendam noxam, quam huiusmodi potus afferre valet, insinuabo, & quando idem potus fugiendus omnino sit, demonstrabo. Et quoad primum, Galenus lib. de bonitate aquæ, de potabili aqua verba faciens docet aquam vehementer frigidam post cibum multum in potu exhibendam esse, non tamen affatim, aut inhianter, nec sine vino: Auicenn. in 3. primi Doct. 2. cap. 8. idem docere videtur, dum ijs, qui frigido potu vti voluerint, tria præcepta tradit, Primum est, vt anteaquam huiusmodi potum ingerant, maximam cibi quantitatem assumant. Secundum vt non ingurgitando, sed sugendo bibant, Tertium, vt vas quo ad potandum vtuntur

angusti

angusti sit orificij; Alexander Petronius in lib. quem edidit de victu Romanorum cap. 13. aduersus gelidi potus noxam hæc habet. Denique si quis, aut ante, aut paulo post, quam prandium, cœnamq; inchoauit, iusculum aliquod satis calens potauerit: subinde interpositis alijs cibis, frigidissimum bibat, ac rebibat, hic ab omni frigidissimæ potionis noxa, se aut semper, aut persæpe vindicabit. *Ex his omnibus præceptis, quoad illud de maxima cibi quantitate sumenda ante gelidum potum, animaduertendum est, parum esse multum cibum sumere, vel potius maius detrimentum afferre posse, nisi illa cibi quantitas optimi sit succi, immo quo maiorem cibi quantitatem quis ingesserit, eo magis à gelido potu lædetur. Præterea plurimum conducere potest, vt illa cibi quantitas, quæ exhibetur, aromatibus sit condita, vt puta pipere, cinamomo, gingibere, melle, & similibus, bellaria etiam post mensam adhibere proficuum est, vt Principum, ac Diuitum mos est, quos propterea non ita cito, vt pauperes, sed temporis interuallo à gelido potu affici existimo, quia cibis multis, optimi succi, ac aromatibus conditis vescuntur, bellariaq; post mensam sumunt, si autem oleribus, leguminibus, fructibus, alijsq; praui succi cibarijs vesci cogerentur, vt pauperibus ex necessitate accidit, fortasse potu naturaliter frigido contenti essent, & recentem fontanam non abhorrerent, sat tamen est, quod temporis processu suæ incontinentiæ pœnam luant, ac eorum articuli, ac viscera insanabilibus ferè morbis corripiantur, ita vt valde pauci ad extremam senectutem perueniant, vel ob articulorum morbum in miserrimam uitam incidant, et ad deambulandum, aliaq; opera manibus obeunda impotentes fiant; hæc aduersus gelidi potus noxam dixisse volui. Reliquum modo est, vt quando idem potus omnino fugiendus sit, dissseramus.*

ramus. Ex Dioſcoride itaq; lib.6. cap.34. ſciendum eſt gelidum potum poſt balneum, & vehementem motum omninò fugiendum eſse, quia strangulationem affert, nempè ſubitum interitum, idq; facit ob inſpirationis interceptionem, quatenus ſcilicet anguſtiam parit in aliquo illorum instrumentorum, quæ reſpirationi inſeruiunt. Ex Auicenna autem 4.6. Summa prima cap.12. à gelido potu in ieiuno, & poſt balneum, & coitum omninò abſtinendum eſt, quia periculum imminet, ne temperamentum corrumpatur, vel aqua inter cutem oriatur, & quod gelidus potus ſubitum interitum afferre poſsit, exempla multa apud grauiſsimos Auctores leguntur. Paulus Iouius in hiſtoriarum ſui temporis lib.35. refert propterea Franciſcum Galliæ Regem, Franciſcum Delphinum filium, hæredem Regni, & nominis destinatum, repentino oppreſsum morbo amiſiſſe, quia Delphinus ex nimia iactatione in ludo paruæ pilæ æſtuans, ſudoreq; madens frigidam intemperanter hauſit. Quare præcordia, viſceraq; immodico rigore correpta, extincto penitus innato calore mortem accerſerunt; quod etiam accidiſſe refert Cani Scaligero Veronæ Principi in ipſius elogio, qui cum armatus, & æstuans ſub cane prægelidam fontis aquam auidè nimis potaſſet, paulo poſt obijt. Amatus Luſitanus medicus inſignis, & fide dignus in ſecunda ſua centuria curatione 62. infraſcriptas Hiſtorias refert his verbis. Elegans, & optimæ ſtaturæ Iuuenis Romanus, cum pila luderet, & ſudore reſperſus, ac totus madidus, ac defatigatus ad puteum pro ſiti arcenda veniſſet, exhauſta frigida recens per calidarium extracta, illico in terram cæcidit, & obijt. Alterum nouimus ex ijs, qui in campo negociantur, qui cum non minus corporis totius adapertis poris madidus, domum reuerteretur, cyathum frigidioris

aquæ

aquæ ebibit, & mortuus quoque fuit. Sed & alterum vidimus, qui cum domum peruenit, vigente magno æstu, cellam vinariam ingressus fuit, & calicem meracioris vini frigidi exhausit, & exanimatus cecidit. *Scaliger de subtilitate ad Cardanum exercitatione 33. refert vidisse messorem à meridiana tritura sitibundum primo ad fontem haustu extinctum. Quomodo autem hoc fieri contingat, causam affert Galenus in octauum de decretis Hipp. & Plat. cap. 7. his verbis.* Nam cum ex frigore, vel veneno frigefactum fuerit corpus nulla alia re in ipso alterationem patiente, statim quidem arteriarum motus, neruorum item, & musculorum cessant, *& huiusmodi cessatio ex eodem Gal. in 4. lib. Aphoris. com. 34. non aliunde oritur, quam ex angustia alicuius instrumenti ex ijs, quæ respirationi inseruiunt, vel etiam ipsiusmet vitalis principij, à quo calor per arterias in vniuersum corpus confluit, nam cum ratione immensæ frigiditatis, quæ statim à gelido potu in æstuante homine, præcordijs communicatur, arterialis sanguis in corde concrescat, arteriæ refrigerentur, ac potentia illa, quæ thoracem mouet, imbecillis valde reddatur; hinc sequitur strangulatio, quæ nihil aliud est ex Gal. ibidem, quam repentinus interitus ob inspirationis defectum. Hæc omnia manifestè magis ab eodem Gal. demonstrari videntur lib. 3. de simplic. med. facultatibus cap. 18. his præcisis verbis.* Nec enim animal vllum interire potest, quin cor ab agendi munere cesset: fieri porrò, vt cesset, nequit citra maximam intemperiem, si quidem non simpliciter quam par est, aut calidius, aut frigidius moueri desinet: eodem modo, si modicè siccum, aut humidum euadat. Minus enim suo fungeretur ob hasce quidem intemperies munere. Cæterum motû non vacabit priusquam

immensam, aut caliditatem, aut frigiditatem, aut reliquarum qualitatum aliquam acceperit. Porrò medicamentis quæ frigore occidunt, vbi ad cor pergere cunctantur, simile quid accidit, quod lignis humidis viridibus frequenter euenit. Hæc siquidem, si multa aceruatim in ignem conijciantur, eum celerrimè extinguunt. Sin vndequaque in orbem composita prius siccentur, ac incalescant, & deinde sensim inijciantur, tantum abest, vt extinguant, vt etiam alimento illi efficiantur. *Ex quibus Gal. verbis manifestè conspicitur, quod sicut frigida admodum medicamenta, quæ supracitato capite à Galeno delateria nuncupantur, cum ad cor pergere properant, sua immensa frigiditate repentinum interitum afferunt, quatenus cor ipsum celeriter, ac affatim refrigerando à suo munere cassare faciunt, ita & multò magis potulentæ materiæ actualis, ac immensa frigiditas, cum in æstuante homine statim cordi communicatur, idem præstare valet, quod à temperatè frigido potu non solum fieri nequit, quin potius cordi refrigerio est, quemadmodum de viridibus lignis sensim exiccatis dictum est. Cur autem ob gelidum potum defatigatus, ac æstuans homo strangulationem magis incurrat, quam ille, qui defatigatus, & æstuans non est? Dico id in habilitatem passi referendum esse, cum enim in æstuante homine solidæ corporis partes, humores, ac spiritus ob intensam caliditatem rariores, ac tenuiores efficiantur, hinc gelidi potus frigiditas facilius dictarum partium substantiam, & præcipuè cordis penetrare valet, ac efficere vt arterialis ipsius sanguis concrescat, cuius concretio tandem repentini interitus causa est. Quod autem præcalefactio conferat ad celeritatem congelationis manifestè docet Aristoteles lib. 6. Meteor. sum. 3. cap. 2. dum de grandinis generatione verba facit*

cit

cit sic dicens: Confert autem adhuc ad celeritatem congelationis, & præcalefactam fuisse aquam, citius enim refrigeratur. Quapropter multi cum aquam refrigerare citò voluerint, ad solem ponunt primo, & qui circa pontum cum glacie habitacula faciunt ad piscium venationes (venantur enim intercidentes glaciem) aquam calidam arundinibus circumfundunt, propterea quod citius congelatur, vtuntur enim glacie, tanquam plumbo, vt quiescant arundines; *hæc Aristoteles. Mirum itaque non est, si in æstuante homine excalefactis iam spiritibus, sanguine, & visceribus ex gelidi potus ingestione celeris congelatio sequatur, & perinde naturalis caloris per arterias diffusio prohibeatur, ex quibus tandem improuisa mors. His omnibus accedit rationi consonum esse, ex vehementi motu, ac labore maximam fieri spirituum resolutionem, ac calorem tum influentem, cùm implantatum adeo labefactari, vt ex repentina, & maxima refrigeratione, eo facilius extinguatur. Hinc Hipp. 2. Aphor. 51. asserebat plurimum, ac repente refrigerare periculosum, quoniam omne nimium est naturæ inimicum, quod ex Gab. in Com. huius Aphor. contingit, quia cum natura in elementorum commoderatione consistat: nimium omne, huiusmodi commoderationem destruit, ac animalis consistentiam dissoluit, & eo magis hoc accidere potest, cum aliquis ex sui natura imbecillior est. Ex Galeno enim 5. Aphor. Aphor. 51. aquæ frigidæ occursus, aut vincit natiuum calorem, aut colligit, vincit quidem dum debilis fuerit, colligit autem dum fortis. Quilibet igitur, qui sibi vitam acerbam non putat, gelidum potum caueat, præsertim verò post balneum, post laborem, post coitum, & dum ieiunus est, & si accidat, vt aliquis ex vehementi motu æstuans, & valde sitiens à frigido potu se ab-*

stinere non possit, vt sæpe contingere solet, Galen. præceptum sequatur Commento in lib. de salubri dieta super tex. 12. vbi hoc docet. Non tamen frigidæ post exercitationes potio, nisi calidam præbibas, noxa vacat, offendit enim, & hæc non obscurè ventrem, ac iecur: nonnullis etiam neruos.

Minus ne obsit aquam, an vinum refrigerare. Cap. VIII.



ON leuis oriri potest controuersia, nunquid sanitati magis conducat aquam, vel vinum refrigerare, quod vt dilucidum appareat, animaduertendum prius est, an inter potandum necessitas postulet, vt aqua, vel vinum refrigerentur, si enim eos frigiditatis gradus habuerint, quos optimus fons, ac optima cella vinaria æstiuo tempore tribuere solent, vtique nulla refrigerationis necessitas aderit, si autem accidat, vt ob calidius ambiens, huiusmodi aqua, vel vinum aliquos frigiditatis gradus amiserint, vt sæpe contingere solet, vtique in hoc casu eo vsque aquam, vel vinum refrigerare expedit, donec amissos naturalis frigiditatis gradus restituamus; hac enim ratione, nec aqua, nec vinum minimam noxam sanitati afferre poterit, cum frigiditatem ferientem non habeant, sed naturalem, qualem natura in calida anni constitutione ad extinguēdam sitim tribuere solet, dum itaq; sic refrigerare opus fuerit, nihil interest, aquam ne, an vinum refrigeremus, cum æque vtrumque absque aliqua difficultate refrigerare possimus, sed con-

trouer-


trouersia esse potest in frigiditatis excessu. An scilicet dum aqua, ac vino simul mistis ad sitis extinctionem vtimur, gelida aqua, vel gelidum vinum maioris sit detrimenti. Et quidem rationi consonum videtur, gelidum vinum noxium magis esse, quam gelida aqua, nam cum vinum aquæ vehiculum sit, eamq; per omnes corporis partes ad distributionem promoueat, vt corpus refrigeretur & humectetur, quod est sitis extinctio, hoc præstare non potest, dum gelidum est, tum ob nimiam crassitiem, quia necesse est, vt in congelatione tenuiores ipsius partes resoluantur, cum etiam quia potentialis eius caliditas ab intensa frigiditate ita refrangitur, præsertim si vinum oligophorum sit, vt nec naturali sua tenuitate, nec potentiali calore vehiculum esse possit, & hinc fit, vt aqua cuius ratione dũtaxat sitis sedari potest, vt quæ frigidæ naturæ sit, & humidæ, ægrè distribui posit, & in præcordijs suspensa remaneat, ita vt vel ob eius corruptionem bilescat, & sitim maiorem afferat, vel in flatum vertatur, ventremq; inflet, aut tormina faciat; si verò vinum poliphorum extiterit, cum ex sui natura nutriendi vim non mediocrem habeat, & hanc ob causam difficilius à naturali calore actuetur, quam aqua, ratione gelationis, & crassitiei, eo difficilius actuari poterit; si autem oligophorum fuerit, non solum eius modicus calor à summa frigiditate valde admodum diminuetur, vt superius dixi, sed facili negotio corrumpetur, cum summa frigiditas glaciei, vel niuis in refrigerando potens ita sit, vt imbecillis oligophori vini calor resistere non valeat, sed peruincatur, adeo vt huiusmodi vinum non solum vehiculum esse non posit, sed vehiculo indigeat, vel ob eius corruptionem cibi coctionem impediat, quod accidere non potest, si gelidæ aquæ vinum in sua naturali frigiditate existens addatur, quia ab

huiusmodi vino gelida aqua ita corrigi potest, vt longe minorem noxam afferat, idque tum ob mediocrem ipsius frigiditatem, cùm etiam ratione tenuitatis, ac potentialis ipsius caloris; id autem contingere non potest, si gelido vino aqua naturaliter frigida addatur, quia licet ex huiusmodi aquæ additione, intensa vini frigiditas paulùlum refrangantur, non tamen talis aqua gelidum vinum ad distributionem promouere potest, cum sui natura frigida sit, & humida, nec vini tenuitatem, ac potentialem ipsius calorem habeat, quare concludendum est, excessum frigiditatis in vino, magis obesse quàm in aqua, dum simul ad potum vinum, & aqua miscentur, vt communis est vsus, & optimum esse, quoad potum mediocritatem inter summè frigidum, & teporem eligere, quæ extra noxam est. Nec sit, qui obijciat ex mistione vini temperatè frigidi cum gelida aqua, vel vice versa, mistum quoddam resultare, quod gelidum non sit, cum temperatè frigida aqua, vel temperatè frigidum vinum respectu gelidæ aquę, vel gelidi vini rationem contrarij obtineat, adeo vt aquę, vel vini summa frigiditas, ita remittatur, ut vinũ temperatè frigidum cum gelida aqua, vel è contra simul mista noxia esse non possint. Huic obiectioni respondeo in illo temporis instanti, quo aliquis bibit, gelidumq; vinum aquæ temperatè frigidæ addit, non fieri aliquam ipsorum mistionem, sed potius partium iuxtapositionem; mistio enim ex Aristotile lib. 1. de generatione & corruptione cap. vltimo est miscibilium alteratorum vnio, quę in tempore fit, non in instanti: hinc fit, vt si gelido vino aqua temperatè frigida in illo bibendi momentaneo interuallo addatur, nihil pręstare possit ad gelidi vini correctionem, ita vt aquam per omnes corporis partes promoueat, vt suę partes sunt, hoc enim indubitanter quilibet sibi

per-

persuadere debet, pro sanitatis custodia, eam tantum vini quantitatem aquæ addendam esse, quæ facere possit ad ipsius distributionem; ab aqua enim, vt quæ frigidæ, & humidæ naturæ sit, sitis extinctio oritur, non à vino, quod vel calidum, & siccum est, vel calidum, & humidum, cuius ratione sitis cum frigidi, & humidi appetitus sit, potius augetur, nec aliam ob causam existimo hac nostra tempestate homines distillationibus adeo obnoxios esse, ac renum, & vesicæ calculis frequenter admodum solicitari, nisi quia vino abutuntur, ex cuius nimio potu, dum sitim extinguere credunt, eam augent, ac eorum hepar, renes, ac venarum ambitus incalescunt, caputq; magna vaporum copia repletur, vt mirum non sit, si superius narratæ affectiones sequantur.

An summè frigidus potus, calidus, vel tepidus possit vnquam sanis hominibus conuenire, & quomodo aliqui perperam euincere nitantur gelidum potum æstate conducere. Cap. IX.



EGROTANTIBVS hominibus immodicè frigidum potum, calidum etiam, & tepidum quandòq; conducere, prout eorum corpora varijs intemperiebus detinentur, dubitandum non est. Si quidem ex Gal. lib. 3. de simpl. med. facultatib. cap. 12. quicquid curari debet, tanquam quod ab immoderatione, seu ametria ad cōmoderationem, seu simmetriam redu-

reducitur; non id, quod bene temperatum sit, requirit, verum id, quod contrariam habet intemperaturam, propterea Erasistratus, vt refert Gal. in lib. Hipp. de victus ratione in morbis acutis com. 3. super tex. 40. asserebat, quod fortes potuum facultates, tempestiuè quidem assumptæ maximum iuuamentum, intempestiuè vero, maximam offensam afferunt, sanis autem hominibus de quibus in hoc opere sermo habetur, supradictarum qualitatum potum nullo tempore conuenire manifestum est, nam cum eorum sanitas ex eod. Gal. 2. Aphor. com. 51. in elementorum commoderatione consistat, huiusmodi commoderatio, vt conseruetur, id, quod benè temperatum est, requirit, non autem quod ab optima temperie recedit, quia symmetriam, quæ sanitas est, dissoluit, ita vt iure meritò idem Gal. in lib. 1. de morbis vulgaribus com. 1. asserat, tres esse causas à quibus morbi auspicantur, vna quidem in ijs, quæ offeruntur, in cibo scilicet, & potu, Altera vero in ijs, quæ fiunt: & tertia in ijs quæ extrinsecus incidunt; sicut enim non solum ea quæ fiunt, hominum scilicet actiones, siue ab animo, siue à corpore proficiscantur, si immoderato motu prodeant, corporis symmetriam interturbant, sed quæ extrinsecus incidunt, continens scilicet nos aer, si immoderatius calefiat, vel frigescat, vel humescat, vel siccescat, idem prestat. Ita cibus, & potus, prout refrigerandi nimis, vel calefaciendi, vel humectandi, vel siccandi vim habent, eandem hominis symmetriam confundunt, atque corrumpunt. Quare homo, qui ex Platone lib. de legibus in animantium genere, vt diuinum miraculum est, & cuius natura, vt ait Aristotiles lib. 2. de partibus animalium cap. 10. non solum viuendi, sed etiam benè viuendi rationem obtinuit, quippe quod (vt ipse ibidem dicit) aut vnum ex omnibus animalibus nobis cognitis diuini-

uinitatis particeps sit, aut omnium maximè, eum potum eligere debet, qui sanitatem conseruare valet; huiusmodi autem erit, quem natura ipsa in quolibet probabili fonte subministrat: hic enim potus, cum inter noxiam frigiditatem, & noxium teporem medium teneat, corporis symmetriam tuetur, non autem destruit, vt gelidus potus. Hinc Hipp. lib. de humidorum vsu part. 3. de frigido, & calido potu verba faciens, docet mediocritatem extra noxam esse. Gal. lib. de bonitate, & vitio succorum cap. 13. & lib. de renum affectus dignotione, & medicatione cap. 7. nisi corporis squallor ex magnis laboribus æstate vigente adsit, fontanam probat, relicta niuali aqua, idq; propterea quod fontana, cum inter frigus, quod ferit, & teporem, qui resoluit, in medio sit, vt idem Gal. docet 10. Methodi cap. 11. corporis symmetriam coonseruat, niualis autem, & glacialis, siue niue, vel glacie refrigeratus potus, cum ferientem, ac noxiam frigiditatem habeat, symmetriam destruit, & ideo Galenus supracitatis locis huiusmodi potum probat tantum ad corporis squallorem curandum, & quod magis consideratione dignum est, in ijs, qui frigidum potare consueuerunt. Auicenn. in 2. primi cap. 16. manifestè affirmat aquam temperatè frigidam sanis meliorem esse omnibus aquis, & in secunda fen. 1. lib. doct. 2. cap. 8. inquit in complexionibus temperatis aqua conuenientior est, quę in frigiditatis fortitudine temperata existit, & hę omnes auctoritates rationi valde consonę sunt, cum secundum omnes medicos illa axiomata firmissima, & certissima sint, nempe similia similibus conseruari, contraria contrarijs curari: quare nullo modo audiendi sunt ij, qui temerè, ac perperam illustrium medicorum, ac philosophorum auctoritatibus probare nituntur summè frigidum potum, siue gelidum ęstiuo tempore conuenire, cum

ex

ex auctoritatibus omnibus, quas ad hoc comprobandum adducunt, facilè colligatur gelidum potum non ratione potulentę materię ijs, qui ſanitate fruuntur, à medicis, ac philoſophis commendari, ſed prout magni pręſidij rationem habet ad eos morbos debellandos, qui à calida admodum intemperie oriuntur, quod vt manifeſtum fiat, auctoritates quibus vtuntur ad eorum falſam opinionem fulciendam in medium afferam, eaſq; deinceps cuius roboris ſint demonſtrabo. Et primo loco Gal. auctoritates adducunt, quarum prima deſumpta eſt ex lib. 3. de alimentorum facultatibus cap. 16. vbi calidam ventriculi intemperiem curare docet his verbis. Ventriculi iuſto calidiores, ſiue ab initio tales fuerint, ſiue à quapiam cauſa in eam temperiem ſint adducti, prӕterquam quod nihil ab oxygalacte, ac alijs huiuſmodi edulijs læduntur, commodo etiam aliquo fruuntur. Quin hi quoque oxygala circumdata niue refrigeratum indolenter ferunt, quemadmodum, & alia pleraque id genus edulia, atque adeo aquam ipſam niue ſic præpatam. *Secunda auctoritas percipitur ex ſeptimo Meth. cap. 4. vbi dum de ventriculi curatione ſermo habetur, inquit Galenus.* Verum ratio me docuit octo imbecillis ventriculi curationes. Vidiſti igitur & tu quoſdam vno die, vel potius hora, frigidæ potione leuatos: quorum alijs non aquam modo dedi fontanam recentem, ſed etiam, quæ niue eſſet refrigerata, veluti Romæ præparare ſolent, calefacientes ſcilicet prius, quam ipſi decoctam appellant. *Tertia auctoritas habetur 9. Methodi cap. 5. vbi Galenus loquens de ratione curandi continentes febres per venę ſectionem, ac frigidę exhibitionem, inquit.* Nunc enim altera continentium febrium ex ſola obſtructione eſt orta: Altera verò etiam cum putredine per omnes venas. Cum ergo co-

go coctionis humorum in ijs notas videris, de quibus dictum in libris de crisi est, audacter frigidum dabis. *paulo inferius hoc eodem capite asserit*, maxima autem continentium febrium remedia hæc duo sunt, detractio sanguinis, ac potio frigida. *Idem habet 11. Meth. cap. 9. ait enim*, si vires cunctæ valentes sunt, & febris ardentissima, ac coctionis notæ plane euidentes, frigidam homini dare audacter debebis. *Quarta auctoritas astruitur ex lib. de bonitate, et vitio succorum cap. 13. vbi dicunt eundem Galenum non solum frigidos cibos, sed aquam niue refrigeratam concedere. Quinta auctoritas affertur ex lib. de renum affectus dignotione, & medicatione cap. 7. vbi asserunt Gal. frigidam non interdicere, & hæ sunt præcipuè Galeni auctoritates, quibus aliqui ex recentioribus quærunt Principum animos, ac aliorum allicere, vt credant summè frigidum potum æstiuo tempore conducere.*

Hipp. etiam auctoritatem afferunt ad idem persuadendum, quam desumunt ex lib. de salubri dieta num. 13. vbi inquiunt Hipp. præcipere in calidis temporibus, calidisque temperaturis frigidissimum potum exhibendum esse.

Addunt Auicennæ auctoritatem, qui lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 16. frigidum probare videtur his verbis. Nix vero, & aqua glacialis, cum munda fuerit, & non commista alicui rei virtutem habenti malam, siue soluatur, vt fiat ex ea aqua, siue cum ea deforis infrigidetur aqua, siue ipsa in aquamet mittatur, erit bona.

Afferunt præterea duas Rasis auctoritates, dicunt enim primo Rasim in 4. cap. 3. tract. ad Almansorem, niuis aquam super cibum assumptam ventriculum roborare, & appetitum augere, ea vero, quæ vsque adeo frigida non fuerit, vt epota non iucunda sit, ventrem inflare, sitim non minue-

minuere, appetitum destruere, corpus dissoluere, nec vllo modo conferre. Secundam auctoritatem accipiunt ex tract. 4. ad Almansorem cap. 25. vbi asserunt Rasim in præseruatione à peste potum aquæ niuis laudare.

Vocant etiam in testem ad eorum opinionem confirmandam Cornelium Celsum, quem in primo lib. cap. 2. præcipere dicunt, vt ij, qui vetriculum imbecillem habent, post sumptum cibum, frigidam in potu assumant, quam & exhibere dicunt in biliosis alui fluxionibus, necnon in calidis distillationibus ad prohibendum illarum defluxum.

Ad Amatum etiam Lusitanum confugiunt, quem in 4. centuria curationum medicinalium curatione 18. gelidam concedere autumant.

Præterea sunt aliqui recentiores, qui ab experientia ratiocinantes dicunt in Messana Siciliæ Vrbe, ac tota Sicilia post vsum niuis, immò in tota Europa longè pauciores homines mori, quam ante vsum illius.

Addunt etiam animalia ipsa irrationabilia frigidum potum sequi, calidum autem aduersari, & frustra à natura frigidas satis aquas vbique æstiuo tempore paratas fuisse, nisi frigidus potus ad naturę conseruationem conduceret.

Hę sunt auctoritates, & fundamenta eorum, qui frigidam, gelidum scilicet potum extollere conantur, per frigidam enim gelidum potum niue admodum refrigeratum DD. omnes intelligunt. Ex quibus auctoritatibus longè etiam plures à supracitatis Auctoribus pręsertim verò ab Hippocrate & Galeno habere potuissent, cum sexcentis in locis frigidam extollant, sępe affirmantes sitibundos plurimos, febricitantes, aliasq; internarum partium calidas intemperantias frigidę exhibitione curasse, licet maxima semper cum animaduersione eam exhibuerint.

His

His itaque omnibus ſupra allegatis auctoritatibus, etſi vnico verbo (vt ſuperius dixi) reſpondere poſſem, dicens ſupracitatos Doctores frigidam in morboſo corporis ſtatu, vt remedium exhibuiſſe, nec propterea eliciendum ad ſanitatem tuendam conducere, tamen vt veritas magis eluceſcat, allatas omnes auctoritates perpendam, eaſque ad rem non facere apertè demonſtrabo.

Ad primam igitur Galeni auctoritatem ex tertio de alimentorum facultatibus reſpondeo, ideo ventriculos iuſto calidiores ex ipſius ſententia oxygala niue refrigeratum, aliaque huiuſmodi edulia indolenter ferre, ac ex ijs commodo frui, quia, vt remedia, calidam ventriculi intemperiem corrigunt, nec propterea inferri poteſt ſanis hominibus huiuſmodi frigidas potiones, ſiue gelidum potum conuenire.

Ad ſecundam auctoritatem ex 7. Method. reſpõdeo ſummo iure Galenum imbecillem ventriculum in aliquibus fontana recenti, in aliquibus autem aqua niue refrigerata curaſſe, quinimo cibos etiam ad eundem modum refrigeratos conceſſiſſe, quia ibi loquitur de ventriculi imbecillitate ab intemperie calida, & ideo, prout maior, vel minor eſt intemperies, ita etiam, vel fontanam recentem, vel aquam niue refrigeratam pro curatione exhibuit, & hoc eodem loco paulo inferius imbecillitatem ventriculi ob frigidam intemperiem calidis curare docet, & vinum vetus exhibet ex eodem genere, quę facultate valde calefaciunt, vt puta falernum, aut ſurrentinum, nutrimentum etiam quod calefaciendi vim habet cum largo pipere concedit, & vt in ſumma dicam eo loci Gal. morboſas ventriculi intemperantias curare intendit, non autem potum ſano homini pręſcribere.

Ad tertiam auctoritatem ex 9. & 11. Methodi eadem

mili-

militat responsio: Dico enim Gal. supracitatis locis frigidam propinare in ardentibus febribus vt remedium, & si signa coctionis appareant, immò eas auctoritates retorquendo obijcere possum, si æstuātibus hominibus ob ardentem febrem frigida competit, ergo ijs, quorum natura in elementorum commoderatione consistit, frigida noxia erit, quia commoderationem destruit.

Ad quartam auctoritatem ex lib. de bonitate, & vitio succorum cap. 13. desumptam, dico, solutionem ex capitis titulo patere, qui est: Quomodo in corporis squallore diuersis refrigeratio quærenda, deque niuis ad rem hanc vsu: solutio itaque est, eo loci Galenum agere de conuenienti potu ad corporis squallorem coercendum, in ijs hominibus, qui ex magnis laboribus eum contraxere, quod facilè patet, ex eo quia post plures refrigerandi modos, quos ibidem docuit habet hæc verba: Atque hæc ego ijs consulo, qui vitam negotijs plenam degunt, cuiusmodi sunt, qui gentibus, ac Ciuitatibus regendis præsunt, horumq; in primis ministri: nec sanè minus, qui militiam exercent, aut iter longinquum ingrediuntur. At quicunque negotijs his soluti degunt, ijs si quidem, vt soliti sunt se exerceant, per quam raro frigidæ vsus necessarius fuerit: Quod si non exerceant, ac caloris multum persentiant æstate vigente, tuto ij fontanam biberint repudiata niue. Nam tametsi ipsa statim nix noxa sensibili non videatur iuuenum corporibus officere, increscente tamen temporis processu occulto, paulatim noxa, vergente nempe ætate, articuli his, neruiq; ac viscera morbis corripiuntur, vix aut nunquam sanandis: ac verisimile certè fit, vt vnicuiq; ea potissimum corporis pars afficiatur, quæ naturæ omnium maxime infirma fuerit. *Patet itaque in hoc capite frigidam à Galeno pro-*

probari ad corporis squallorem curandum, fontanam autem ad sanitatem tuendam.

Ad quintam auctoritatem ex lib. de renum affectus dignotione, & medicatione cap. 7. respondeo eo loci Galenum aquæ frigidæ potum ijs hominibus suadere, qui supra modum calidi sunt, pingues, & carnosi, siue naturali habitu, siue acquisititio & ijs, qui vehementer exercent, quiq; consueuerunt frigidam potare, vt ibidem clarè patet, deinde subdit: quod si aliter aliqui se habeant, minus bibant ex ea, qui vero iuuenili sunt ætate, & in rebus ciuilibus versantur negociosius, quam vt exerceri ordinatè, & victitare queant, fontanam sument, relicta niuali aqua. Hæc namque tametsi iuuenilia corpora mox offendere non videtur, noxa videlicet quæ paulatim increscit, non percepta: tempore tamen procedente cum ætas declinat, difficulter sanabiles, aut incurabiles planè morbos inducere nata est, in neruis, articulis, & visceribus. Quam affectionem pars aliqua corporis percipit, quæcumq; debilissima est natura. Quamobrem vti debes fontana, & ea defecata, de qua plus assumas, quam de vino. *Constat itaque fontanam aquam eligendam, non frigidam, siue gelidam.*

Ad Hippocratis, seu vt melius dicam ad Polybi eius discipuli auctoritatem, respondeo Polybum lib. de salubri dieta num. 13. loqui de morbosa siti ex calida intemperie orta, in qua aquosum vinum, & frigidissimum probat, nam his verbis vtitur. Quoscumq; verò sitis corripuerit, his & cibi, & labores detrahendi sunt, & vinum bibant aquosum, & quam frigidissimum. *Superius autem hoc eodem lib. nu. 1. loquens de dieta idiotis, ac priuatis hominibus condecenti, et morbosa siti non laborantibus, inquit.* At vero æstate maza molli nutriantur, & potu aquoso, & multo, obsonijsq;

omnibus coctis. sic autem his, vbi æstas fuerit, vti oportet, vt frigidum sit corpus, ac molle: Tempus enim calidum est, & siccum, & facit corpora æstuosa, ac squallida. *Patet igitur, quam frigidissimum potum sano homini ex Polybo non conuenire, sicut etiam nec ab Hipp. probatur, licèt in libris de morbis, de victus ratione in morbis acutis, alijsque in locis plurimos acutos morbos frigida curare docuerit.*

Ad Auicennæ auctoritatem dupliciter respondeo, primo eo loci Auicennam non absolute niuis aquam, & glacialem ad potum commendare, sed comparatiuè, respectu scilicet niuis, quæ malam qualitatem contraxit à locis, in quibus cecidit, & respectu glacialis aquæ, quæ ex prauis aquis congesta fuit. Secundo dico Auicennam ibi non probare niuem, & aquam glacialem, prout ad quotidianum potum sanis hominibus competit, sed potius vt medicamentum, quia ibidem concludit aquam temperatè frigidam sanis meliorem esse omnibus aquis, idque ex eius verbis manifestè patet, sic enim loquitur. Nix vero, & aqua glacialis cum munda fuerit, & non commista alij rei virtutem habenti malam, siue soluatur, & fiat ex ea aqua, siue cum ea deforis infrigidetur aqua, siue ipsa mittatur in aqua, erit bona, *deinde addit*, & suarum quidem diuisionum dispositiones non diuersificantur diuersitate multum extranea, sed est spisior quam omnes aquæ, & nocet dolores habentibus neruorum, sed cum coquitur, ad bonitatem redit. Quod si aqua glacialis ex aquis malis fuerit, aut fuerit nix virtutem contrahens malam, & extraneam à locis, in quibus cecidit, erit melius, vt cum ea infrigidetur aqua, exterius prohibendo ipsam à permistione eius. Aqua præterea temperatè frigida sanis melior est omnibus aquis. *quod*

autem

autem aqua temperatè frigida ſanitatem tuatur, docet idem Auicenna tertia fen. eiuſdem primi libri doctrina 2. cap. 8. complexionibus, *inquit*, temperatis, aqua conuenientior eſt, quæ in frigiditatis fortitudine temperata exiſtat. *Idem affirmat ſecunda parte canticorum, dum de ſani corporis regimine verba facit, dicens,* aquam temperatè frigidam conuenire, nimis vero frigidam exhibendam non eſſe, quia neruos lædit.

Ad Raſis primam auctoritatem ex quarto cap. 3. tractatus ad Almanſorem, cuius verba ſic ſonant. Aqua vero ſeu niue refrigerata, ſeu talis ſuaptè natura ſit, ventriculum percutit, ſi à ieiunis bibatur, & hepar multum infrigidat, quam nulli ieiuni bibere audeant, niſi forte ſint calefacti; quo in caſu ipſis confert: ſuper cibum autem aſſumpta ventriculum roborat, appetitum auget, dummodo parua ſit illius quantitas: Aqua vero; quæ vſque adeo frigida non fuerit, vt epota non iucunda ſit, ventrem inflat, nec ſitim minuit, ſed appetitum deſtruit, corpus diſſoluit, nec vllo modo confert.

Reſpondeo hoc in loco Raſim quatuor facere, primo prohibet aquam niue refrigeratam ſanis, ac ieiunis hominibus, quia ventriculum lædit, & hepar refrigerat, ita vt hydropem afferat. Secundo eandem aquam probat hominibus calida intemperie affectis ad huiuſmodi intemperiem corrigendam, per illud enim verbum, calefacti, non intelligit Raſis, vt ſint calefacti ex laboribus, illis enim qui ſic calefacti ſunt, frigida ſi exhibeatur repentinum interitum afferre poteſt, vt pluribus dictum fuit. Tertio aſſumpto cibo paruam frigidæ aquæ quantitatem concedit. Quarto affirmat aquam, quæ adeo frigida non erit, vt epota iucunda non ſit, nullo modo conferre. Ex his omnibus, quæ primo, & ſecun-

do loco dicuntur, responsione non egent, quia nihil probant pro ijs qui frigidam tuentur. quæ tertio loco affirmantur, nec aliquid pro ipsis concludunt, quia parua frigidæ quantitas post cibum assumpta licèt ratione antiperistasis coctionem iuuare possit, prandio tamen, ac cœnæ æstiuo præsertim tempore sufficere non potest. quæ quarto loco habentur, dico sententiam nostram confirmare, & rationi valde consona esse; ex ijs enim verbis manifestè patet ex mente Rasis, illam aquam ad potum à sanis hominibus eligendam, quæ epota iniucunda non sit, qualis erit fontana recens, quæ adeo frigida est, vt bibenti grata sit, ventrem non inflet, vt gelida, sitim auferat, appetitum conseruet, ac corporis symmetriam non dissoluat.

Ad secundam Rasis auctoritatem ex qua infertur gelidum potum non improbandum esse, ex eo quia Rasis eo loci in preseruatione à peste niuis aquam commendat.

Respondeo Rasim, vt remedium niuis aquam contra pestem ad exustionem prohibendam admittere, non vt potulenta materia, & in qualibet temporis constitutione indiscriminatim, sed in ea tantum, cuius ipse mentionem fecit, dum inquit: Quando autem in fine æstatis multus fuerit calor, autumnus autem valde siccus, & multum puluerulentus exiterit, ac frigus, & pluuia venire tardauerit; mansiones tunc infrigidandæ, & humectandæ pannis crassis aqua aspersis, atque appensis, & aqua in domus pauimento roratione erunt: à labore quoque, & coitu abstinendum erit; corpus pręterea aqua frigida lauandum, & aqua niuis in potu sumenda; sauich etiam coctum mane non multa aqua, & pauco saccharo bibendum erit, & aqua in niue infrigidata potanda.

Ad Cornelij Celsi auctoritatem ex lib. 1. cap. 2. vbi circa prin-

principium sic scribit , qui crudum sine præcordiorum dolore ructat, is ex interuallo aquam frigidam bibere debet; *& circa eiusdem capitis finem, hæc habet* : vbi expletus est aliquis, facilius conquoquit, si quicquid assumpsit potione aquæ frigidæ includit, tum paulisper vigilat, deinde bene dormit. *Hæc Celsus*.

Respondeo Celsum in huiusmodi capite, cuius inscriptio est, quæ stomaco imbecillo seruanda sint, nullo pacto frigidam sanis hominibus suadere, sed eam ex interuallo, vt remedium, ijs consulere, qui cum ventriculum imbecillem ob calidam intemperiem habeant, crudũ sine præcordiorum dolore ructant, quo casu frigida morbificæ causæ occurrit. quod in imbecillitate ventriculi ob frigidam intemperiem non accideret, quin potius maximo detrimento esset. In fine autem huiusmodi capitis propterea assumptum cibum aquæ frigidæ potione includendum docet, vt ratione antiperistasis imbeccillis ventriculus iam expletus facilius concoquat, cui rei placidum etiam somnum remedio esse affirmat; dum autem addunt, Celsum in biliosis alui fluxionibus, calidisq; destillationibus frigidam concedere, nec propterea colligitur ex ipsius mente frigidam ad quotidianum potum ex vsu esse.

Ad Amati Lusitani auctoritatem respondeo, eo loci gelidæ potum non sano homini, sed febricitanti concessisse, quod ex huiusmodi ipsius verbis clare patet. Blanquinus cum grauissimè febriret, & non quiesceret, & cibum non retineret, & aqua illi à medico denegata esset : ad eum cum peruenissem, & in vrinis coctionis notas contemplarer, & aquæ appetentiam inextinguibilem cum linguæ nigritie, & ariditate notarem, illi gelidam ad satietatem concessi, qua illico vomuit, & postea copiosissimè sudauit, post quem febris ex integro delituit, & eger non amplius si-

tiuit, imò quæ comedebat, ea retinebat.

Ad illud autem, quod vt experientia comprobatum adducitur, dum dicitur in Sicilia vniuersa post niuis vsum longè pauciores homines mori, quam ante vsum illius. Respondeo primo certum esse illis in regionibus niuem vel glaciem potulentæ materiæ non permisceri, sed tantum circumponi. Secundo dico ijs in locis cum maior vigeat calor, & cito potulenta materia incalescat, niuis vsum non solum ad conseruandam naturalem aquæ, & vini frigiditatem necessarium valde esse, sed ad augendam vini præsertim frigiditatem, cum vt à fide dignis illarum regionum incolis audiui, in Sicilia inculpabiles cellæ vinariæ non reperiantur, & propterea vinum æstate ita frigidum non sit, vt humana exposcit natura. Addo præterea in Messana Vrbe perpaucos potabilis aquæ puteos reperiri: quapropter ciues omnes ad fontes aquæ viuæ, sed remissæ admodum frigiditatis confluunt: vnde domum cum redeunt, longissima vt plurimum via, ac ambientis æstu aqua vehementius incalescit. Hinc itaque est, quod Siculi post niuis vsum magis sanitate fruuntur, cum potulentam materiam aquam scilicet in sua naturali frigiditate aduersus summum aeris æstũ conseruare, & vinum ad eam frigiditatem, quam optimæ cellæ afferre possunt, reuocare niuis vsu facile valeant.

Ad illud quod dicitur de irrationabilibus animalibus, quę naturaliter frigidas aquas sequuntur, calidas autem aduersantur. Respondeo, vt in primo huius operis capite dixi, frigidum potum omnibus animalibus secundum naturam esse, & ex necessitate, & propterea omnia animantia eum sequi, & appetere, & à prudentissima natura, quæ in necessarijs non deficit, æstiuo tempore vbique locorum subministrari, non enim frigidus, et naturalis potus improban-

dus

dus est, imò satis laudandus, sed ille qui immodicè frigidus arte paratur, siue niuis, vel glaciei dissolutam aquam potulentæ materiæ permiscendo, siue nimis eorum vsu deforis refrigerando; quare ex superius dictis patet perperam à nonnullis recentioribus gelidum potum cum antiquissimis, & probatissimis medicinæ Auctoribus comprobari, cum contrarium prorsus ab ijs tradatur. Quare vnusquisque, qui propriam sanitatem tueri cupit, refrigerantibus ita vti debet, vt potulentã materiam, vel sua innaturali frigiditate conseruet, vel si eam amiserit reuocet, vel denique si contingat, vt quibusdam in locis frigida satis aqua, vel vinum non reperiatur, vt meridionalibus in locis ex Hipp. lib. de aere, aquis, & locis numero secundo euenire solet, eos frigiditatis gradus introducere valeat, quos natura ipsa in quolibet probabili fonte exhibere solet: quod si quis id executioni mandare non ægre ferat, à multis morbis tutum se reddere posse credat, & non aliam ob causam existimo irrationabilia animalia non ita facilè morbis corripi, vt homo, nisi quia à naturali suo ipsorum appetitu non recedunt, & cibo, potuque vtuntur, vt naturæ placet; homo autem, qui non solum naturalem appetitum eiusmodi habet, vt ex sui natura cibi, & potus quantitatem, qualitatem, & assumendi horum cognoscat, vt Gal. lib. de dissolutione continua cap. 1. affirmat, sed inter omnia animalia bene viuendi rationem sortitus fuit, vt Aristoteles, inquit 2. de partibus animalium cap. 10. nisi sæpe ratione abuteretur, eiusque loco sensus imperaret, continentior circa gustum esset, & longiorem salubrioremq; vitam duceret, cum illud semper præ oculis habendum sit ex Gal. lib. de bonitate, & vitio succorum cap. 14. vix fieri posse vt homo vnquam ægrotet, nisi cruditatibus, à quibus omnia morborum genera oriuntur, scateret, ad

quarum generationem nihil certè gelido potu efficacius reperiri poteſt, nam vel ſtatim naturalem hominum calorem ſi imbecillior fuerit vincit, vel temporis proceſſu occulto, ſi fortior extiterit; quare audiri non debent illi medici, qui vt Principibus, ac nobilibus adulentur, gelidum potum extollunt, & ad hoc comprobandum doctiſſimorum virorum auctoritates à genuino ſenſu detortas perperam adducunt, & tamen iſti ſunt, qui in prætio apud Magnates habentur, & quibus nec in ſano, nec in morboſo corporis ſtatu fides denegatur, & non alia certè ratione, quàm quod in rebus omnibus ipſorum voluntati blandiuntur, ita vt hac noſtra tempeſtate ſummo iure ea dicere poſſim, quæ à Gal. 1. Meth. cap. 1. dicuntur. Non optimi medici, ſed illi medici ſunt vocati, qui ipſis maximè adulantur, qui & frigidam dabunt, ſi hanc propoſcerint, & lauabunt, cùm iuſſerint, & niuem vinumque porrigent. Poſtremo quicquid videbitur, mancipiorum ritu facient. Contra, veteres illi Medici ab Aeſculapio oriundi, qui tanquam Duces militibus, & Reges ſubditis, imperare ægris voluerunt, nequaquam vero Getarum, & Tibiorum, & Phrygum, & Tracum emptorum ritu parere, atque obſequi. Itaque non qui melius artem callet, ſed qui adulari aptius nouit, apud iſtos magis in pretio eſt: huicq; omnia plana & præuia ſunt: huic ædium fores patent, hinc breui efficitur diues, plurimumq; poteſt. *Hæc Galenus: ſed aliquis fortaſſe medicus excuſare ſe poſſet, dicens, Principes ægre medicis obtemperant, vel etiam prorſus immorigeri ſunt; quam excuſationem (vt verum fatear) à veritate alienam non exiſtimo, & hæc etiam fuit Galeni quærimonia lib. 3. de compoſitione medicamentorum per genera cap. 2. ſuadeo tamen illud potius peragendum eſſe, quod ibidem ipſemet Galenus præcipit, quam vt Medi-*

cus

cus permittat, quæ permittenda non ſunt, præſertim vero à Chriſtianis medicis. Galenus ſupracitato loco, inquit. Equidem qui non adeo delitijs affluunt (ſunt hi maximè pauperes) vt plurimum obtemperantes nobis habemus: Diuites vero, & pręſertim Potentes admodum illos, vel ægrè obtemmperantes, vel prorſus immorigeros experimur. Optimum igitur fuerit nec ipſis mederi. *Hæc Galenus, licet optimi Principes, nempè qui Principis partes, ac genium quoddam inſitum habent, præſertim ſi Chriſtiani ſint, medicis ſemper obtemperantes ſe præbeant, ipſiſq; dum aduerſa valetudine detinentur, ſuam ſalutem credant, vt de Alexandro magno apud Quintum Curtium legitur, qui Cydnum fluuium ingreſſus, vt puluerem, ac ſudorem dilueret ratus id populare, ac ſpecioſum coram exercitu facere, repente aquarum rigore exanimatus magnam mortis ſuſpicionē vniuerſis fecerat. Erat ei Philippus medicus, quem è Macedonia adduxerat fidus in paucis, & gratus Regi: Qui cum varijs præſidijs labentem ſpiritum ad ſua munera reuocaſſet, pollicitus eſt præterea ſe intra triduum pharmaco propinato ſalutem illi redditurum, neque Rex quamuis impatiens, atque ob aduentātem Darium ſollicitus moram tridui abnuit. à Parmenione interea purpuratorum ampliſſimo litterę Aexandro dantur; quibus monebatur, caueret Philippo medico ſalutem ſuam committere, quippe cui Darius Rex mille talenta, & ſororis ſuę nuptias obtuliſſet, pręmia necis ſuę futura, quę licet ingenti ſollicitudine Regem diu ancipitem fecerint, non tamen cuiquam rem aperuit, non trepidum ſuſpicione animum prę ſe tulit, ſed tertium diem anxius expectauit. Vix dies illuxit cum Philippus Regis cubiculum ingreſſus, medicinam illi obtulit; Alexander corpore in cubitum ſublato dextra quidem oblatum po-*

culum

culum accepit, sinistra vero eodem tempore litteras quas à Parmenione acceperat, Philippo dedit, nec ab eius vultu oculos dimouit, donec eas perlegisset, obseruans si quę interim corrupti animi notę, ex eius motibus deprehenderentur. At Philippus maxima iracũdia commotus vultu interrito proiectis litteris, salus tua Rex, inquit, has suspiciones abolebit, Rex nihil moratus medicinam hausit, & quamuis ob vim medicamenti deliquia quędam fidẽ aliquando suspicioni facerent, nihilominus vi morbi ex venis eiecta, postero die Rex exercitui suo incolumis apparuit, omnibus Regis saluti gratulantibus, non minore ob Alexandrum recuperatum lętitia, quam gloria Philippi, quem veluti Deum ĩtuebantur.

Ex hac itaq; historia facilè quiuis coniycere potest quanta fuerit Alexandri fides in Philippum eius medicum non obstante maxima suspicione quam Parmenionis litterę iniecerant, altera ex parte facilè etiam colligi potest Philippi fidelitas, ac doctrina; fidelitas inquam, quia nullo inuitatus pręmio quamuis maximo fidelissimus Alexandro fuit; doctrina, quia iuxta illius firmam, ac solidam pollicitationem, suę medicinę exhibitione ipsi sanitatem restituit. Vnde exemplum sibi Principes sumere possunt vt facta fidelis, ac periti medici electione, illi obtemperantes sint, suamue salutem intrepide committant, firmiterque credant ob medici fidelitatem, ac doctrinam sanitatem ab assumpto pharmaco se consecuturos, hęc enim causa est, vt medicus maiori cum diligentia, amore, ac promptitudine ea peragat, quę peragenda sunt, e contra, dum Principes, ac Magnates titubant, medicum adeo titubantem reddunt vt multoties, quę ad eorum salutem necessaria sunt, omnino pretermittant.

An æstiuo tempore magis expediat aeris æstum corrigere, vel arte potulentam materiam refrigerare, Cap. X.



VM potus refrigeratio ęstiuo tempore non alia ratione ab hominibus varijs artibus, ac summo studio quęratur, quam vt eorum corpora à calidiori ambiente tueantur, à quo facilè euenit, vt valde incalescant, ac resiccentur; satius existimandum esse puto ambientis temperiem curare, quam frigidiorem potum querere. ex Galeno enim lib. de inequali intemperie cap.6. Aer, qui nos ambit, non ante offendit, quam ad immodicum calorem, frigusue est immutatus. Curandum itaque est, ne ædium, cubiculorumq; in quibus æstate degimus, interclusus aer ab externo calidiore aere nimis incalescat, hac enim ratione naturalis nostrorum corporum calor mitis conseruatur, & non ignescit, ita vt ingenti sit cruciemur, ac gelido potu, qui sæpe sæuos, ac incurabiles morbos parit, indigeamus. Verum illud prius ex Galeno, & Hipp. monere volo, vt purus aer eligatur, in cuius electione, quanta diligentia adhibenda sit, ex his Gal. verbis primo de sanitate tuenda cap. 4. colligatur. Eorum vero quæ extrinsecus incidunt, vnum certè est, quòd separari ab homine non potest, quodq; illi perpetuò, &, vt ita dicam, veluti connatum adhæret, aer ipse ambiens. Alia nec necessariò, & in certis temporibus nobis accidunt. Ille nempè, qui circumfunditur aer, nos lædit, vel quod calidos

dos immodicè, vel quod frigidos, vel quod ſiccos, vel quod humidos efficit. *Quare maxima cura adhibenda eſt in aeris electione, qui qualis eſſe debeat idem Gal. eod. libro cap. 11. docet his verbis:* Optimum aerem cenſeo, qui prorſus ſit purus; eiuſmodi vero fuerit, qui nec ſtagni, nec paludis halitu ſit perturbatus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpirante infectus. Nec qui ex cloacis, quæ magnam aliquam vrbem, aut numeroſum exercitum purgent, vitium contraxit. Nec qui ex animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur. Nec qui ob ſtagnum, vel flumen vicinum, nebuloſus eſt. Nec qui editis vndique montibus, in cauo loco clauſus nullum recipit perflatum. Suffocans enim, putriſq; eſt, ſimilis ei, qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum plurimus aceruatur ſitus. Huiuſmodi ergo aer omni planè ætati eſt noxius: ſicuti è diuerſo, qui purus omnino eſt, nulli non ætati eſt vtilis: at vero quæ ex calore, frigore, ſiccitate, humiditate diuerſitas aeris contingit, non perinde ſe ad omnes homines habet. ſed corporibus, quæ optimo temperamento ſunt, & optimè temperatus aer eſt ſaluberrimus; in quibus verò aliqua exuperans qualitas dominatur, ijs vtiliſsimus aer eſt, qui ei qualitati maximè eſt aduerſus, frigidus calidæ, calidus frigidæ, humidiori ſiccus, ſicciori quam par eſt tanto humidior, quanto ſiccitas ipſa modum excedit. *Hæc Galenus, In quibus omnibus Hipp. adamuſſim aſtipulari videtur, qui lib. de flatibus, de aere ſermonem habẽs, hæc inquit;* Mortalibus autem vitæ, & morborum ægrotis, ſolus is eſt Auctor. Tantaq; omnibus corporibus ſpiritus neceſſitas extat, vt ſi quidem omnibus alijs abſtineat homo, neq; cibum ſumat, neque potum, poſſit tamen dies

dies duos, vel tres, & plures ducere; si cui verò spiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui tempore vnius diei intereat, vt vel hinc quãto vsui spiritus corpori sit, liceat existimare. Amplius autem ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines: multæ enim sunt mutationes in vita, verum ab hoc opere nulla omnibus mortalibus animantibus requies contingit, vt cesset spiritum, adducere, & rursum exhalare. Vides ergo ex his, quæ dixi, quanta communio omnibus animantibus in aere existat. Subijciam igitur mox, & illud, quod non aliunde vnquam verisimile sit morbos euenire, quam inde, si is aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis sordibus inquinatior in corpus se ingerat. *Omni itaque diligentia aeris puritate quæsita, de modis, quibus ædes ac cubicula in summo æstu temperatè frigida conseruare, vel ad temperatam frigiditatem redigere valeamus, agendum est. Dico igitur quatuor modis ædes, ac cubicula refrigerari posse, nempè frigido externo aere, humidorum irrigatione, germinibus ac floribus, ac denique prohibendo ne æstuosus extrinsecus aer ædes, ac cubicula ingredi valeat. Aere tribus modis refrigerare possumus; Primo modo si eum ita excipiamus, vt sursum feratur, nempe, vt à subterraneis locis, in quibus æstiuo tempore satis frigidus esse solet, in ædium cubicula sensim recipiatur. Secundo si ab alto deorsum feratur, vt apud Aegyptios mos est, qui altissimas Turres extruunt, quarum à culminibus per canales aptè constructos frigidum aerem excipiunt, quo ædes, ac cubicula refrigerent. Tertio, aere ædes, & cubicula satis refrigerare possumus, si ita excipiatur, vt à lateribus per angustos, & obliquos anfractus, siue ab imo sursum, siue è contra ad ædes, ac cubicula perueniat. Quomodo autem humidis irrigando,*

ger-

germina, ac flores per aream proijciendo, ac æstuosi aeris ingreßum prohibendo, cubicula refrigeranda sint, docet Gal. 9. Method. cap. 14. his verbis: Sedulo igitur agendum est, vt ambientem, quoad fieri potest, qualē esse expedit, præpares, scilicet humidiores, frigidioresq. domus, tum deligens, tum vero præparans: sicuti è diuerso, si frigida sit, humidaq; morbi species, quæ calefieri, siccariq; postulet, & eligendæ, & præparandæ domus sunt, quæ calefaciant, & exiccent. At deligendas quidem dico, quæ ex se ipsis eiusmodi sunt; præparandas verò, cum arte nostra molimur, per æstatem subterraneas eas, & ad seprentriones versas: ac pauimenta earum asiduè humore aspergentes. Tum vt ex Euripo aliquo aura inspiret, machinantes: flores prætérea, ac germina, quæ frigidæ, humidæq; facultatis sint, per aream proijcientes. Per hyemem vero contraria horum molientes, præsertim, vbi morbus (vt prædictum est) suadet: vbi non suadet, excessus tantum vtriusque temporis remittentes: *Lib. 10. Meth. cap. 8. hęc eadem exactius docere videtur, dum de eligendo, ac pręparando aere, qui hecticis febribus conueniat, sermonem habet, inquiēs.* Hic igitur, si temperatus est, qualem se exhibet, vtique tali nobis est vtendum; nihil amplius de eo sollicitis; sin admodum calidus est, vel admodum frigidus, pro calido inducendus arte contrarius est, subterraneis inuentis domibus, quæ & frigidissimæ sint, & maximè perflatæ, & ad Septentrionem versæ: tum auris quibusdam, quæ ipsis sint propriæ, opera nostra paratis, alias ex Euripis, in quo se deijciant multi aquarum fontes: alias aqua frigida de vasis in vasa transfusa. Iam hoc statim etiam somniferum est. Præterea domo assiduè aqua, quæ prorsus frigida sit, aspersa: ac rosis plurimis humi fusis, aut vitium capreolis,

aut

aut ruborum ſummitatibus, aut lentiſci ramis, aut deniq; reliquarum, quæ refrigerent, ſtirpium aliquibus. Turba quoque hominum ingredi prohibita: nam id quoque domus calefacit, atque ita quidem calidiſſimum aerem refrigerare, qui in ęſtate calida & ſicca accidit, eſt tentandũ: quandoquidem in hyeme calidiſſimus eſſe non poteſt, ſicut nec frigidiſſimus in æſtate. At ſi quis modice frigidus eſt, hoc eſſe contentum oportet, nihil aut machinantes, aut de temperie eius alterantes. *Quemadmodum igitur ex Gal. ſupracitatis locis ad corrigendas varias corporis intemperies, frigidas, vel calidas manſiones eligere, vel arte parare debemus, ita etiam ad aeris æſtum corrigendum æſtiuo tempore iiſdem vti debemus, ne noſtrum corpus à calidiori aere nimis incaleſcat, ac reſiccetur, & inde vehemens ſitis oriatur, vel viſcera ex ęſtuoſi aeris inſpiratione, calida intemperię corripiantur, & febris, vel aliquis alius calidus morbus excitetur.*

Sed ex dictis difficultas oriri poteſt, quonãmodo ex Galeno ſubterranęę domus ad ſeptentrionem verſę ad ſanitatem reſtituendam, vel conſeruandam in ſummo ęſtu conducere poſsint, cum experientia contrarium ſuadeat, quis enim eſt, qui hiſce temporibus ſuadere auſus fuiſſet cellas vinarias ad ſeptentrionem verſas habitabiles eſſe, etiam ſi ita conſtructę eſſent, vt elegantiſsima quoque cubicula ſuper terram conſtrui ſolent, cum illud indubitatum apud omnes ſit, ob ſolis priuationem frigidiores, ac humidiores eſſe, adeo vt potius morbos fouere, & augere, ac ſanitatem corrumpere poſſe, rationi conſonum ſit, quàm vt prodeſſe aliquo modo valeant, et eo magis ſi vt docet Galenus, frigida aqua aſpergantur, germina, ac flores per earum aream proiiciantur, & ex Euripis ſiue aura inſpiret, ſiue ex iis ſe deiiciant multi

aqua-

aquarum fontes, vel aqua de vasis in vasa trasfundatur.

Huic obiectioni respondeo, Galenum per subterraneas domus intelligere subterraneas illas porticus, quibus nobiles Romani vti consueuerunt, & quę gręca voce ὑπόγαια. *appellabantur, licet enim huiusmodi porticus subterraneę magna ex parte essent, non tamen omninò sub terra erant, quod ex ijs Galeni verbis colligere licet:* subterraneis inuentis domibus quæ frigidissimæ sint, ac maxime perflatæ: *ista verba,* maxime perflatæ, *manifeste indicant non omnino subterraneas fuisse, quia hac ratione maximè perflari non potuissent. Dicendum igitur huiusmodi domos licet subterraneas, ita tamen constructas fuisse, vt à ventis valde perflari, & à sole commodè illustrari potuerint, secus enim ob nimiam frigiditatem, ac humiditatem inhabitabiles fuissent, quemadmodum cellae vinariae nostri temporis eandem ob causam inhabitabiles sunt.*

Nunc autem cum horum Porticum vsus exoleuerit, loco ipsorum cubicula terram æquantia eligantur, quę ęstate frigida satis sunt, & presertim si domus crassis parietibus constructę fuerint, quorum ratione extraneus calor facilius arceatur. Pręterea conducet etiam plurimum, externi aeris ingressum clausis fenestris, ac extrinsecus storeis appositis, vt mos est, prohibere, & quando opus sit ea etiam addi poterunt, quę superius dicta sunt; praesertim vero in maximis caloribus, vt quilibet à motu se abstineat, consulo.

Aqua

Aqua ne, an vinum, frigidus, & naturalis potus dici debeat. Cap. XI.



VM hactenus determinatum fuerit, frigidum potum ita sanis hominibus conuenire, vt natura ipsa appetit, ac subministrat, quæ sine Doctore omnia perfectè agit, nec deficit in necessarijs; Videndum modo est, qui nam potus innatæ bibendi appetentiæ propter frigidæ & humidæ substantiæ reparationem satisfacere possit, an aqua magis, an vinum. Et quidem cum huiusmodi appetentia nihil aliud sit, quam ipsa sitis, quæ secundum omnes Philosophos, & Medicos est appetitus frigidi & humidi, vt superius dictum est; affirmandum videtur aquam magis, quam vinum frigidum, & naturalem potum dici posse, cum aqua ex sui natura frigida & humida sit, vinum autem, vel calidum & siccum, vt aliqui volunt, vel calidum & humidum, quibus vini qualitatibus tantum abest, vt sitim extinguere valeamus, vt ea potius augeatur, & propterea Gal. lib. 7. de simp. med. facultatibus dicebat, sitienti aqua leniens remedium est. *& com. 4. de victus ratione super text. primo hoc idem testari videtur dicens,* Scio equidem me aliquãdo ex æstiuo itinere siticulosum redditum, bibisse vini veteris paulo meracioris calicem vnum, atque ex eo sitim auxisse, non placasse: *Itaque summa cum ratione affirmandum videtur initium vitæ hominis panem, & aquam fuisse, vt sapiens Ecclesiast. 29. quasi indicare voluerit vitam hominis his duobus potissimum fulciri, & constare, aqua enim quod resolutum est de humida substantia restituere*

valemus, pane quod de ſicca. Idem Boetius de prima ætate quo ad aquæ potum teſtatur inquiens.

Somnos dabat vmbra ſalubres,
Potum quoque lubricus amnis.

Hoc idem Tibullus lib.2. elig.3. affirmat, inquiens.

Glans alat, & priſco more bibantur aquæ.

Verum quoniam aqua per ſe ſola etiam ſi optima ſit, omnique culpa vacet, tarde meat, difficulter coquitur, ægrè deſcendit, fluctuationeſq; in ventriculo parit, propterea ex Gal. lib. de bonitate aquæ cap. 1. veluti manus quædam, quæ ad diſtributionem aquam rapiat, minimum omnino uini immiſcendum eſt, quo nimirum aqua ſincera eſſe deſinat: quod enim ſincera aqua ſupranarrata omnia accidentia afferat, manifeſtè docet Galenus in lib. Hipp. de victus ratione in morbis acutis com. 3. ſuper tex. 40. his verbis. Aqua quanquam optima ſit, multo tamen tempore in ventriculo manet, fluctuationesq; plurimum parit. quo fit, vt cum bilioſus ventriculus fuerit corrumpatur, & illa preterea, & cum ex ventriculo ad ieiunum inteſtinum ægrè perueniat, non facile diſtribuitur, neque in hepar, & minus in renes, thoracem, & pulmonem. quo fit, vt neque vrinas mouere nata ſit, neque ſputum educere, imo neque per totum corpus molitur traſpirationes: id namque ſubſtantiæ quæ tenuium ſit partium, opus eſt, calidæq; non frigidæ, & craſſarum partium. neq; præterea ſitim ſedeat, quod in amplis tum ventris, tum inteſtinorum animalis inſtrumentis, plurimo maneat tempore: neq; prorſus imas ipſorum penetrat partes, neq; ariditatem humectet. quod autem non alat, antea eſt dictum: quo fit, vt neque facultatem vitalem roborare poſsit. Atque ea eſt cauſa, propter quam Hipp. ad mulſam, oximel, & vinum ſe contulit in

ęgris

ęgris ab aqua abſtinens. *Hoc idem præciſis verbis docet idem Gal. ſupracitato lib. de bonitate aquæ cap. primo. 7. Method. cap. 6. & alijs in locis, nec alia ratione hæc omnia à ſola, & ſincera aqua oriuntur, niſi quia nec incidentis, nec calidi quicquam habet; qua propter modicum vinum immiſcendum, vt eius frigiditatem corrigat, eamq; per omnes corporis partes penetrare faciat, ſitimq; extinguat; hinc Gal. lib. 1. de ſimplic. medic. facult. c. 29. ait,* ſi cum vino bibatur aqua, ſitim efficacius extingui, quam ſi ſola, vino ſcilicet ipſam ad diſtributionem promouente: Itaque refrigerationem, ſitiſque ſedationem ab aqua prouenire, vt quę frigidæ naturę ſit, & humidę: cęterum adminiculo eſſe, ac velut alas illi ad omnes corporis partes permeandas addere, tum vinum, tum acetum, quę ipſa nequaquam frigida ſunt, & humida: ſi quidem pręſtare, ſic ſola exhiberi potius, quam cum aqua, quando ea facile prę tenuitate in corpus diſtribuuntur, & ab hypocondrijs recedant. *Vino itaque, vt aquæ vehiculo vtēdum, vehitur enim aqua à vino, tum ratione tenuitatis, cum etiam ratione caloris, & hinc fit vt facile ſitis extinguatur, quatenus ſcilicet aqua, quæ ex ſui natura frigida, & humida eſt, per vniuerſas corporis partes diſtribuitur. Verum quia aliquis hic quærere poſſet, quæ nam vini quantitas aquę immiſcenda ſit, dico id à Galeno diſcendum eſſe de victus ratione in morbis acutis com. 3. ſuper tex. 40. cum in morboſo, tum etiam in ſano corporis ſtatu, habet enim eo loci Galenus hęc præciſa verba.* Cum igitur ſeni cuidam ęgrotanti quotidie vinum aquoſum exhiberem, quidam ex huiuſmodi medicis pręſens, me vini minimum aquę ipſi inſtillantem contemplatus riſit. Aegrumq; vinum non bibere, ſed dumtaxat videre dixit, non ſanè intelligens miſtionis vini,

quod gratia voluptatis datur, ad aquam aliam eſſe ſymmetriam, & aliam eſſe eius, quod ad opem ferendam miniſtratur. Nam vinum omninò minimum veluti excitationem quandam, quę ad diſtributionem aquam trahat, permiſcemus, quo dumtaxat aquę tollimus ſinceritatem, non autem aquam vinum faciamus. Sunt autem plerique ex ſanis, qui vinum aqua dilutum bibunt, ſed in his aquam guſtatu ipſo euincere non oportet, ſed vinum: In ęgrotantibus vero adhuc magis, ita vt pauca ſit vini repręſentatio. *Ex his Gal. verbis maniſeſtè patet, vino ita vtendum, vt aquæ ad penetrationem opem ferat, non ad voluptatem, vt plerique hominum faciunt, qui vel aquam omnino fugiunt, vt vini ſinceritatem non tollant, ſuoque guſtui magis indulgeant, vel minimum aquæ vino inſtillant, adeo vt iure merito dici poſsit hac noſtra tempeſtate homines aquam amplius non bibere, ſed potius videre, quod cum corporis animæq; ſanitati valde officiat, fugiendum eſt. Et quo ad aquę, & vini miſtionem conſulerem, maiorem, vel minorem vini quantitatem aquæ addendam eſſe ſecundum hominum naturam, ętatem, habitum, conſuetudinem, exercitium, regionem, ac anni tempus, & ipſius vini qualitatem; ſed hoc vnum caueamus, ne aquam vinum faciamus, de quibus omnibus inſerius dicemus, ſed primo de aquarum bonitate, & vitio, eiuſq; correctione, ac de vinorum differentijs agendum.*

De

De aquarum bonitate, & vitio. Cap. XII.



IPPOCRATES lib. de aere, aquis, & locis cap. 1. asserebat, medicum non debere se negligentiorem exhibere circa aquarum facultates dignoscendas, quemadmodum gustu differant, pondere, statione, & virtute, cuius rei num. 10. eam rationem affert, quia plurimam partem cõfert ad sanitatem. Galenus lib. 1. de simpl. med. facultatibus cap. 4. ait, aquam communissimam hominibus omnibus esse tum sanis, tum ęgrotis, & ad vitam maximè necessariam. Auicennas 2. 1. doct. 2. cap. 16. dicit aquam vnum existere elementorum, quę sola inter omnia elementa habet proprium, vt in eo quod comeditur, & bibitur ingrediatur. Aristotiles sect. 1. problematum problemate 14. quęrens cur ciborum mutatio minus quam aquæ grauis occurrat, hanc causam reddit, quia plurimum aquæ consumimus & in pane, & obsonijs, & in potu aquæ vsus plurimus est. Athenæus lib. 1. Deipnos ex Diocle, & Praxagora ait, aquam vtilem esse coctioni, minimè flatuosam, modicè refrigerare, visum acuere, nihil caput onerare, animi corporisq; motum facilem, ac promptum reddere; propterea diligenter ipsius naturam inuestigandam esse operepratium duxi, vt quilibet optimam ad potum aquam eligere valeat.

Ex Hipp. igitur lib. supra citato fontanæ aquæ primo loco, secundo pluuiales probantur, & ex fontanis aquis, numer. 14. optimę sunt, *inquit Hippocr.* quæ ex sublimibus locis, & terreis collibus fluunt: Hę enim dulces sunt, & albę, & vinum modicum ferre possunt; & hyeme calidę

fiunt,ęstate vero frigidę, tales enim fuerint ex profundissimis fontibus,maximè vero laudare eas oportet,quarum fluxiones ad solis exortus erumpunt, & pręsertim ad ęstiuos,necesse est enim odoratas esse , & leues, *ratio autem est ex eodem Hipp.num.8. eiusdem libri,quia sol emergens , & illustrans ipsas castigat, matutinum enim tempus ipse aer , vt plurimum semper occupat. Secundum ab his locum habent, quæ inter æstiuos solis exortus & occasus emergunt, & magis hæ,quæ ad orientes. Tertio loco sunt, quæ inter occasus ęstiuos, ac hybernos scaturiunt. Post fontanas aquas, pluuiales ab Hipp. probantur , sic enim scribit numero 17.* Aquę igitur pluuiales lęuissimę & dulcissimæ sunt ; Primum enim sol , quod tenuissimum , & leuissimum est in aqua educit , ac sursum. Rapit Clarum autem hoc , ipsum mare facit,quod enim salsum est,istic relinquitur,prę crassitie,& grauitate, & fit mare, quod vero tenuissimum est, sol sursum rapit,præ leuitate: Rapit autem tale non solum ab aquis stagnantibus, sed etiam ex ipso mari, & ex omnibus in quibus aliquid humoris inest(inest autē in omnibus rebus)& ex ipsis hominibus tenuissimū, ac clarissimū humorē ducit.Eius rei maximum signū inde sumere licet, vbi homo vestibus indutus in sole iter fecerit,aut sederit, quascumq; enim corporis partes sol aspicit,hę nō exudāt: sol enim quicquid comparet sudoris , sursum rapit : quæ vero sub veste contectæ sunt , aut sub aliqua alia re, hæ exudant: educitur enim,ac domatur à sole sudor,seruatur autem ex tegumentis,vt ne disperdatur à sole.quum vero in vmbram deuenerit, totum corpus similiter sudore perfluit,non enim amplius sol effulget.*Huiusmodi itaq; aquæ optimæ sunt,licet ex eodem Hipp. cum ex varijs, & multis qualitatibus constent facilè putrescant , & cum sic mutari*

inci-

incipiunt, raucedinem, & vocis grauitatem inducunt, nisi prius decoctæ ac excolatæ pristinas illas aeris partes recuperent; ab huiusmodi autem propensione ad putredinem facilè etiam reuocari possunt, si in cisternis debito modo constructis, & eas conditiones habentibus quæ inferius dicentur, recipiantur, & colligantur. Hæc Hipp. de bonis aquis, quibus addendum est ex eiusdem lib. 5. Aphor. Aphor. 26. aquam illam leuissimam esse, quæ cito calet, & cito refrigeratur, per leuem autem aquam Hipp. intelligit, vt vult Galenus in commentario huius aphorismi eam, quæ ventrem non grauat, & cito permeat.

Ex Galeno autem lib. 1. de simpl. med. facult. c. 4. habemus, potabilem aquam frigidam & humidam esse, & ab ipsa quamlibet hominis naturam, temporis processu refrigerari, eiusque puritatem cap. 5. eiusdem libri docet tribus sensibus cognosci, nempe gustu, visu, & odoratu; gustu, pura dici debet, si nullam offerat qualitatem, sed penitus qualitatis expers appareat: visu cum sincera fuerit, & plane perlucida: odoratu, si quolibet odore careat; his omnibus si accidat, vt ab hypocondriis confestim descendat, nulla alia præstantior inueniri poterit, vt dicit Galenus in libello de bonitate aquæ, talis autem erit aqua, si ad orientem versa erit, ac per meatum quendam, vel terram puram colata celerrimè tum calefiet, tum refrigerabitur; item si à collibus, vel terreis montibus ortum ducet, & in ipsa aqua omnia celerrimè elixentur, si leuis sit, nam aqua quæ pura est, vt ibidem dicit Galenus, pondere est leuis, quia terræ impermista est; quæ vero est grauis, terræ ratione plus grauat, & aquæ grauitas & leuitas ex Auicenna 2. 1. doct. 2. cap. 16. non solum ex pondere cognoscitur, sed etiam si duo panni linei eiusdem ponderis in diuersis aquis infundantur, deinde benè expri-

mantur, ac tandem perfectè exiccentur, deindè ponderentur, & illa aqua cuius pannus erit leuior, melior dicenda erit. Præcipuum vero signum, quod aquæ bonitatem indicat est, si aqua hyeme calida sit, æstate frigida; hoc autem euenit, si fontes à profundissimis terræ partibus fluant, & à cauis antris scaturiant, huiusmodi enim aquæ hyeme calidissimæ sunt, æstate frigidissimæ, calor enim, *inquit Galenus,* æstate in terræ superficie aduentat, hyeme in profundum immergitur. *Hanc eandem rationem affert Alexãder Aphrodisæus lib. 1. problematum prob. 56. propterea enim dicit,* aquam puteorum per hyemem calidam, per æstatem frigidam esse, quoniam contrarium omne suum vitare contrarium semper solitum est: cum igitur frigidum quod calido contrarium est, atque exitiosum, fugiat per æstatem, cum cælum recalet, se ad ima telluris recipiat necesse est: quo euenit, vt aqua frigida efficiatur, contra, per hyemem quoniam extrinsecus frigus vergit, calor ad ima fugiens aquam tepefacit. Contraria enim per idem loci, & temporis simul manere natura noluerunt. *Ex superius dictis manifestum est, quæ nam qualitates requirantur ad potabilem aquam secundum Hipp. & Gal. & ex Hipp. colligitur fontanas aquas, & pluuiales cæteris alijs anteponendas esse, sed quia sunt aliæ aquæ, quæ in frequenti vsu sunt, & nec gustu, nec olfactu aliquam præferunt qualitatem, ac visui sinceræ, ac plane perlucidæ obijciuntur, quemadmodam sunt puteales, & fluuiales; ideo præmissis omnibus aquarum differentijs ex Aristotele 2. Meteor. cap. 1. potabiles omnes aquas ab alijs distinguemus. Ex Aristotele itaque loco supracitato, ita aquæ distinguntur.* Aquarum quæ circa terram sunt, hæ quidem fluxibiles existunt, hę autem stabiles; fluxibiles igitur omnes fontanę. Stabilium autem, hæ

quidem

quidem collectitiæ, & subsidentes, veluti paludosæ, & quęcunque sunt stagnales, multitudine, & paucitate differentes, hæ autem fontanæ, hę autem omnes manufactę. Dico autem veluti puteales vocatæ: omnium enim oportet superius fontem esse fluxu. Quapropter hæ quidem spontaneè fluunt fontanę, & fluuiales: hæ autem arte indigent operante. differentiæ igitur tot, & tales aquarum sunt. *Hæc Aristoteles. Dicendum itaque ex dictis, potui idoneas aquas, fluxibiles esse, & collectitias illas, quæ arte operante huiusmodi sunt; Ad fluxibiles aquas fontanæ, & fluuiales aquæ reducuntur, ad collectiuas autem & manufactas, puteales, & cisterninæ aquæ referendæ sunt. Quare inter supra narratas potabiles aquas primum locum habere videntur fontanæ aquæ. Secundum fluuiales, Tertium Cisterninæ, Quartum puteales, Quintum, & vltimum locum sponte collectitiæ, nam & his vrgente necessitate vti quandoq; cogimur. Fontanæ aquę si ad orientem versæ sunt, & à collibus, siue terreis montibus scaturiunt, omnes optimę aquæ conditiones habent. Fluuiales aquę si impermistę sint, nempe si sint ex flumine, in quod diuersae aquę non deferantur, earumq; ortus procul sit, & ab oriente, ac per calida loca, & puram terram permeent, optimę quidem sunt, nam impermistionis ratione magis conseruantur, & potabilis aquę naturam retinent: quatenus enim ab oriente, & ex longinquis regionibus fluunt, longo cursu attenuantur ac depurantur: quatenus per calida loca, & puram terram deferuntur, à sole coctionem recipiunt, nec praua aliqua qualitate coinquinantur, his omnibus si accedat, vt huiusmodi aquę in subterraneis locis per quinque vel sex mēsium interuallum detineantur, nec ipsas ingredi permittatur, nisi prius per sabula, vel lapillos de more transeant, ac*

per-

percolentur, certe huiusmodi aquæ saluberrimæ admodum erunt, & ita aestate frigidæ, ut nullo refrigerantium usu opus sit; Aquæ autem de magnis fluminibus, in quæ alia flumina deferuntur, diuersas aquarum qualitates habentia, probari non debent ex Hippoc. quia calculum, renum affectiones, vrinæ stillicidium, coxendicum morbum, et hernias afferunt, sic enim scribit Hipp. lib. de aere, aquis, & locis cap. 21. Calculo vero maximè laborant homines, & ex renum affectionibus, & vrinæ stillicidio, & coxendicum morbo corripiuntur, & herniæ fiunt, vbi aquas omnigenas bibunt, & de magnis fluminibus in quæ alia deferuntur, & de stagno, in quod fluxiones multæ, & omnis generis deueniunt; & qui aquis in victitijs vtuntur, quæ ex longo & non breui locorum interuallo afferuntur, non enim fieri potest, vt alia aqua similis sit alię, sed aliæ dulces sunt, aliæ salsæ, & aluminosę, aliæ de calidis fluunt. Vbi vero hę inter se miscentur, desident: & quæ fortissima est, semper superat; pręualet autem non semper eadem, sed alias alia. *Ex his Hipp. verbis colligi facile potest Tyberinam aquam non eius bonitatis esse, quam aliqui ei tribuere conantur; certum est enim non solum ex multis fluuijs coaceruari, sed quod peius est, diuersas qualitates habentibus; palam enim omnibus est, non solum à Tyburtinis oris, sed aliunde etiam aluminosas, sulphureasq. aquas in Tyberim quotidie defluere, præterquamquod cum per planam, ac campestrem terram Tyberis aqua vt plurimum effluat, turbida admodum quolibet tempore apparet. Nec dicatur huiusmodi Tyberis aquas in conseruis per aliquod temporis spatium tenuiores, puriores, ac frigidiores fieri, quia id verum esse fateor, sed vt dicit Athenæus lib. de aquis cap. 5. semper huiusmodi aquæ vires, quas à varijs locis, vbi me-*

tella

tella gignuntur, perceperunt, conseruare solent, & ex Hipp. lib. de aere, aquis, & locis, aquæ, quæ erumpunt à terra, quæ semina ferri, æris, argenti, auri, sulphuris, aluminis, bituminis, vel nitri habent, malæ semper sunt. Galenus etiam in lib. 6. Hipp. de morb. vulgaribus com. 4. idem indicare videtur, dum dicit, Romę namque sicut, & multa alia in ea Vrbe eximia sunt, ita & fontium elegantia, ac multitudo est admirabilis; eorum nullam fœtidam aquam, aut medicatam, aut turbidam, aut asperam, crudamque effundit. *Aquæ itaque prædictæ quæ medicatæ sunt, prauæ ex Gal. etiam dici debent. Cœlestes siue pluuiales etiam aquæ potui satis idoneæ censeri debent, quia leuissimę, & dulcissimę, & tenuissimę, ac splendidissimę sunt, vt inquit Hipp. Praterea in ipsis res quælibet celerrimè elixatur, citò calefiunt & refrigerantur, vinum modicum perferre valent, ab hypocondrijs confestim descendunt, æstate frigidæ ita sunt, vt facultatem valde refrigerantem non habeant, hyeme respectiuè calidæ sunt, nec leuem quidem noxam cuilibet corporis parti afferre valent. Verum cum huiusmodi aquæ collectitię sint, quatenus scilicet arte accidit, vt in cisternis recipiantur; perpendendum est, quodnam tempus accommodatius sit, vt huiusmodi aquę colligantur, & quæ conditiones ad perfectam cisternam requirantur. Quoad tempus, quo pluuiales aquę colligi debent, varię sunt Doctorum opiniones, aliqui enim temporarię, siue æstiuæ primum locum tribuunt. Secundum tonitruali. Tertium nimbali. Nonnulli è contra vernales, ac hyemales aquas omnibus anteponunt, & hac ratione nituntur, quia aestiuæ, & autumnales aquæ sicciores, & nitrosiores necessario sunt, propterea quod aestate, & autumno terra siccius euaporat, ac aer multas terræ sordes habet, quas pluuiæ purgant. In hac difficultate ita*

tę ita

te ita ſentiendum eſſe arbitror , vt donec terra à reiteratis pluuijs autumnali tempore temperata optimè non fuerit, non permittatur, vt pluuialis aqua ciſternam ingrediatur, nam quæ imbre inchoante à tegulis aquę decidunt, ſemper ſordidæ ſunt, & prauam habent qualitatem. Præterea aliæ quinque conditiones requiruntur, prima eſt, vt ciſterna in quam huiuſmodi aqua ingredi debet, vetuſta ſit, nempe per multum temporis ſpatium ante fuerit extructa, ne à calce prauam aliquam qualitatem ſuſcipiat. ſecunda vt antea quam ciſternam ingrediatur, per ſabula ſeu lapillos tranſeat, & percoletur. tertia vt in aprico loco ſita ſit. quarta, vt aqua frequenter hauriatur grauibus æneis ſitulis, vt vehementius percutiatur. quinta deniq; conditio erit, vt in ciſternina aqua candidi piſces nutriantur, ſic enim pluuialis aqua perfectiſſima erit; nec quia Hipp. dicit huiuſmodi aquam facilè putreſcere, cum varijs & multis qualitatibus conſtet, dubitare quis debet de eius bonitate, nam vt Galenus dicit lib. de bonitate aquæ in principio, nemo aquam quę facile putrefit, peſſimam autumare debet, nam quod facilè alteratur bonitati potius quam vitio tribuendum eſt, dummodo cæteras optimæ aquæ notas habuerit, *cui Auicennas etiam aſtipulatur 2. 1. Doct. c. 16. his verbis.* Ex aquis laudabilibus ſunt aquæ pluuiæ, & pręcipue illę, quę in æſtate eueuiunt, & ex nubibus cum quibus accidunt tonitrua, *deinde paulo inferius,* ſed tamen aquę pluuiali cito aduenit putredo, licet ſit aqua melior, propterea quod eſt valde ſubtilis, & quia in ipſa corrumpens terreum, & aereum cito operatur: & fit eius putredo cauſa computreſcendi homores, & impedit pectus, & vocem. Quidam autem dixerunt huius cauſam eſſe, quod aqua pluuiæ generatur ex vapore, qui fuit ex humiditatibus diuerſis ſublimatus,

matus, vel eleuatus, sed si hoc esset causa, aqua pluuię vituperabilis esset, & non laudabilis: sed non est ista: imò propter multam suæ substantiæ subtilitatem, quoniam omnis subtilis substantia magis recipit pasionem: sed si festinè aqua pluuię ebullierit, eius receptio putrefactionis minuetur. *hæc de pluuiali aqua. Iam de putealibus aquis agendum, quarum cum aliquæ leniter fluant, aliquę vero omnino resides sint, quæ fluunt prestantiores se se offerunt, nam tenuiores sunt, melius concoquuntur, facilius per vrinam excernuntur, ac ob continuam aquæ innouationem nullam labem contrahere possunt. quæ vero resides sunt, nempe quę nullum motum habent, semper crudiores existunt, crassiores, difficilioris coctionis, ac ratione crassitiei, & frigiditatis ab hypocondrijs confestim non descendunt, licet inter huiusmodi resides aquas maxima differentia esse posit, prout laudabilem ortum habent ab optimis fluminibus, vel à locis vitiosas aquas continentibus. Quippe aquæ cum optimis fluminibus consensum habentes si per optimam terram solidamq; & puram, & angustas, ac longas vias in puteos deferantur, praestantissimæ sunt, nisi accidat, vt cloacarum distillationibus contemerentur; si vero cum stabilibus aquis, collectitijs, ac subsidentibus, nempè cum paludosis, lacustribus, & stagnalibus aquis consentiunt, vitiosae admodum sunt, & eo magis si per sordidam terram, latas vias, & non procul ab huiusmodi prauis exortibus exudent. Facilè enim ad quamlibet suorum exortum, alterationem coinquinantur. Facit etiam ad aquarum putealium bonitatem, vel prauitatem, puteorum situs, nempe si putei in editis, aut abditis locis sint collocati, si soli expositi sint, an non, si frequenter, an longo temporis interuallo eorum aquæ hauriantur, si saepe, an raro à sordibus expurgentur, ac denique si eo-*

rum

rum structura ampla, ac vetus sit, an angusta, & recens, putei enim in editis locis positi, ad solem vergentes, quorum aquæ frequenter hauriuntur, sæpè expurgantur, qui deniq; ampli & veteres sunt, si aquas laudabilem originem habentes, & per spatium, solumue vitiosum non excurrentes, recipiant, optimas & præstantissimas esse censendum est. Hæ sunt potabiles aquæ.

Aquæ autem potui ineptæ ex Gal. lib. de bonitate aquæ cap. 3. illæ sunt, quæ ad septentrionem vergunt, ad occidentem, & ad meridiem; quæ enim ad septentrionẽ, dulces sunt, sed immoderatius refrigerant; quæ ad occidentẽ, non solũ vehementer refrigerant, sed duræ adeo sunt, vt raucitatẽ, laterum morbos, ac spasmos inducant; quæ ad meridiem salsiores, calidioresq; sunt, minimeq; vt per vrinam reddantur idoneæ, ad secessionem autem per intestina præstantiores sunt, & licet Galenus aquas quæ ad meridiem sunt, non laudet, De nilo nihilominus hæc dicit lib. de bonitate aquæ c. 3. Nilum tamen ita laudo, vt paucis admodum fluuijs in bonitate aquæ comparandus videatur: Nam & ventrem subducit, mulieribusq; purgationes cit, & in puerperio bibitur ob admistam quandam vim nitri. *Niloticæ autem aquæ bonitatis quatuor causas adducit Auicennas in 2. p. doct. 2. c. 16. Primã causam refert in eius manationis lõgitudinem, Secundam causam adscribit bonitati locorum per quæ fluit. Tertiam causam dicit esse, quia in suo cursu à meridie ad septentrionem tendens valde attenuatur, ac illustratur, idq; propterea quod per torridam regionem defluit, quam totam à meridie in septentrionem Nilus dissecat. Quartam causam aquæ multitudinem esse asserit, certum est enim ex Aristotele in maiori quantitate magnam virtutem, seu magnũ vitium residere posse. Optima itaque ex superius dictis Nilotica*

lotica aqua dici debet, quam Pescennius Niger Imperator tanti fecit, vt militibus Aegyptiorum stationum vinum petentibus responsum dederit, vt Spartianus scribit. Nilum habetis, & vinum petitis? quasi Nilotica aqua adeo perfecta esset in genere aquarum, vt vino præferri deberet. Sed iam ad prauarum aquarum descriptionem redeamus, inter quas à Galeno lib. 7. de com. pharmacorum secundum locos cap. de confectione ex capitibus papaueris. Prauæ etiam sunt illæ aquæ, quæ per plumbeos canales deriuantur, inquit enim eo loci Gal. aqua fontana, quæ per plumbeos canales deriuatur, frigida est, limus enim quidam ex plumbo in ea continetur, vnde etiam, qui aquæ huiusmodi fecem combibunt, disenterici euadunt. *Idem affirmat Auicenna secunda primi doct. 2. cap. 16. his verbis.* Puteorum aquæ, vt aquæductuum sunt malę comparatione aquarum fontium: sunt enim aquæ constrictę, permistæ terrestreitatibus longo tempore: ideoque esse non potest, quin in eis aliqua sit putrefactio, quoniam extractæ fuerunt, & commotę virtute cogente, & non virtute, quę sit in eis declinante ad hoc, vt manifestentur, & expellantur, sed non fit illud nisi ingenio & arte: quia via propinqua eis fuit adhibita ad exitum ad extra. Ex eis autem illæ sunt deteriores, quibus ex plumbo viæ factę fuerunt, quoniam ex eius virtute aliquid assumunt, & frequenter ad disenteriam ducunt. *Paladius idem docet de re rustica lib. 9. cap. 2. sic dicens* fistulę plumbeę aquas noxias reddunt, nam cerussa plumbo crearur attrito, quæ corporibus nocet humanis. *Quare cauendum maxime est ne aquis vias ex plumbo faciamus, vt communis est vsus, præsertim in Vrbe. Prędterea ex Auicenna loco supracitato aquæ non currentes, quocunque modo fuerint, stomacho non conferunt, & prauæ etiam illæ sunt,*

quibus

quibus metallica substantia admiscetur, aut eius simile.

Ex Hipp. lib. de aere, aquis, & locis, aquæ pessimæ, ac potui minime idoneæ sunt illæ, quæ in petris scaturiunt, quia duræ; Prauæ etiam sunt aquæ, quæ collectitiæ, ac subsidentes sunt, nempe paludosæ, lacustres, & stagnales, item quæ ex niue, & glacie resoluuntur, etiam si glacies ex purissima, ac perfectissima aqua conflata fuisset, quod perbellè nos docet Hipp. lib. supracitato num. 20. his verbis. At vero aquæ ex niue & glacie productę, omnes malæ sunt: cum enim semel concretæ fuerint, non amplius in pristinam naturam restituuntur. sed quod quidem in ipsa clarum, ac leue, & dulce est, excernitur, ac disperditur: quod vero turbidum est, ac ponderosissimum, relinquitur. Hoc vero cognoueris hoc modo. Si enim volueris hiemis tempore vasculum certa aquę mensura infusa, sub dio exponere, quo maximè congeletur: Deinde postridie in locum calidum deportatum sinere, quo maximè glacies liquescat, & vbi exoluta fuerit, aquam metiri: reperies aquam multò pauciorem. Atque hoc signum est, quod in congelatione id, quod leuissimum, & tenuissimum est, disperditur; at quod grauissimum, & crassissimum remanet: Non enim hoc disperdi poterit. *Ex his Hipp. verbis, quæ libenter ad vnguem hic notare volui, facilè quis colligere potest, quàm decipiantur illi, qui glaciem propterea quod ex aqua pura conflata fuerit, in vino dissolui curant. Huiusmodi enim aquæ adeo vitiosę sunt ex Hipp. & Galeno, vt ab ipsis omnia fere mala corpori nascantur.*

De

De prauarum aquarum correctione. Cap. XIII.



VONIAM necessitate urgente aliquando cogimur vitiosas etiam aquas bibere, propterea quid contra earum vitium machinari possit, inuestigandum est. Dico igitur vitiosas aquas plurimis modis corrigi posse, nempe coctione, distillatione, percolatione, agitatione, ac calefacientibus quibusdam, prout diuersis qualitatibus deprauatæ reperiuntur. Et huiusmodi aquæ, vt plurimum collectitiæ, ac stabiles sunt; inter collectitias aquas, puteales ferè semper crudiores, ac frigidiores inueniũtur, tum ob earum profunditatem, cuius ratione, à sole illustrari non possunt, cum etiam ob motus defectum: Quã ob causam non attenuantur; stabiles etiã aquæ, nẽpe palustres, lacustres, & stagnales vitiosæ ad modũ sunt, uel ob earũ crassitiem, vel lutositatẽ, vel limositatẽ, ac turbulentiam, vel ob saporis, siue odoris prauitatem, ex eo quia metallorum qualitatibus, per quæ transeunt affectæ sunt. Crudæ, frigidiores, & quæ prauum saporem, ac odorem habent aquæ, elixandæ, ac decoquendæ sunt; crassae destillandæ, seu agitandæ; lutosæ, limosæ, ac turbulentæ percolandæ. Et hoc vnũ manifestum est secundũ Medicos, & Philosophos, decoctionem, quamlibet aquæ prauitatem abijcere: Pręterea nonnulla etiam sunt calefaciendi vi prędita, quæ aquæ cruditatem tollunt, vt inferius dicetur. Quod autem decoctio aquam perficiat, & quomodo, docet Galenus 4. in 6. Epid. super

per text.10.et lib.de bonitate aquæ cap.1.ac alijs in locis, ait enim id propterea fieri, quia caliditas aquã, quæ elixatur, to tam æqualiter fundit, & cum refrigeratur, terrestres partes innata grauitate descendentes fundum petunt, aqua vero his supernatat, ita ut sensim in aliud vas transfusa, purissima, ac ad secretionem aptissima reperiatur: hinc Auicenna 2. p. doct.2. cap. 16. aqua cocta, *inquit,* sicut testificati sunt sapientes, minoris est inflationis, & velocioris descensionis. *Distillationem, aquam rectificare, testificatur Auicenn. loco supracitato sic loquens:* sublimatio, & distillatio aquas rectificat malas, et si istud non fecerit, decoctio rectificat, *eoque magis ex destillatione rectificabitur aqua, si in balneo Mariæ vocato distillatio fiat, hac enim ratione distillata aqua extenuatur, leuior fit, & omnis cruditas abijcitur. Percolationem aquam rectificare, docet Aristotiles sect.24. problematum, vbi asserit,* percolatas aquas potui aptiores esse; *tunc autem percolari debent aquæ ex Gal. cum limosæ, ac turbulentæ fuerint, quod nobis insinuat lib.1. de simplicium medicamentorum facultatibus his verbis.* Est porrò etiam aqua limosa quadatenus composita, velut est aqua Nili, quæ in Aeypto est: sed ea per fictilia vasa percolata, planè pura efficitur. Oportet autem non semel, sed bis & ter percolare, quãdo nec si quidem forsan adamussim puram queas efficere; *Idem etiam demostrat in sextum de morbis vulgaribus Com.4. super text. 19. vbi sermonem habens de aquis, quæ arte parari solent sic loquitur;* sicut etiam per testas raras interdum turbulentas aquas percolantes, vt Alexandriæ, & in Aegypto percolantur per quædam non simpliciter testacea vasa, sed artificiosè, vt rara sint præparata: quemadmodum & per linteolum huiusmodi vase carentes, excolare solent; *Idem docet lib. de bonitate aquæ cap.5.*

cap. 5. ex Athenæi libris per hæc verba. Aqua defecatur partim vasis stillacidijs (quæ stacta à Græcis appellantur) partim colis, quæ ab eisdem hylisteres vocantur, quę nonnunquam quidem simplicia, nonnunquam vero duplicia, vel triplicia fiunt, vt purissima aqua per hæc ipsa excipiatur. quin & foueæ, tum iuxta mare, tum stagna fiunt: illic quidem cum aquam potabilem à mari secernere volumus: hic vero, vt si conturbatum fuerit stagnum, hirudinesq; in se, vel aliqua etiam alia vitia habuerit, purissima, maximeq; inoxia aqua per terram transudans, in fossas colligatur. Vbi vero multa aquę quantitas haurienda sit, vt in exercitibus, latera foueæ lapidibus, vel lignis in orbem circumdant: atque vbi pauimentum eodem modo instrauerint, puras conseruare aquas nituntur. Porrò aquę, quæ defecantur, tenuiores, purioresq; fiunt, ob idq; etiam frigidiores. pleręq; vero licet fuerint defecatæ, vires tamen à sordidis corporibus perceptas adhuc conseruant. *Motu perfici aquam, siue agitatione, omnes medici, ac philosophi testantur. Gal. lib. de bonitate aquæ cap. 3. alijsque in locis ita scribit.* Quę fluunt aquæ multo sunt tenuiores, atque ad madefaciendum præstantiores, ad coctionem item, & ad vrinæ redditionem. *Auicenn. 2. primi doct. 2. cap. 16. idem docet asserens, aquas longo cursu nobilitari, quia attenuantur. Plinius lib. 13. cap. 3. idem indicat, dum ait;* Veluti cursu, ita & percussu aquas attenuari, ac perfici: *quare affirmandum etiam est, plurimum conducere ad aquę perfectionem eam, vel fustibus vehementer percutere, vel ex repetita ab alto de vase in vas transfusione frangere, ac agitare. Denique calefacientibus quibusdam aquæ corrigi possunt, pręsertim si crudiores sint, ac multum frigidę, nempe ex infusione, siue modica ebullitione, vel cinamomi, vel co-*

riandrorum, vel corticum citri, vel ſeminum aniſorum, vel ſummitatum citri, ac huiuſmodi alijs, addita, modica ſaccari quantitate, vt mos eſt, vel denique ex Gal. lib. ſupracitato animaduertendum eſt, vt crudę, et vehementer frigidę aquę poſt cibum multum bibantur, non tamen affatim, aut inhianter, nec ſine vino, vinum enim verum aquę corrigens dici debet, & bonus aquę & cibi penetrator, & in hunc vſum modicè adhibendum eſſe cenſeo. Præterea Gal. eod. lib. circa initia addit; quidam cibos, ac potus quoſdam remedia aduerſus aquarum vitia inuenerunt: ac alij quidem cicerum decoctum præbibunt, vel ipſa etiam cicera commanducant: Alij caucalidas pariter cum piſce aliquo elixas, feniculos itidem: Alij betas & cucurbitas cum muria, vinoque diluto præmandunt. *Hæc omnia contra vitioſas aquas machinari poſſunt. Verum quia quoad aquæ coctionem communis illa dubitatio inſurgere poteſt, nempè ex aquæ coctione tenuiores partes reſolui, craſsiores vero remanere, ita vt aqua craſsior reddita difficilius permeare valeat; propterea neceſſe videtur hanc dubitationem ſoluere. Pro cuius ſolutione, præter ea quæ ſuperius ex Gal. diximus;* Reſpondeo *primo cum Ariſtotile verum non eſſe aquam ex coctione craſſeſcere; Quinimo magis attenuari, inquit enim Ariſtotiles 4. Metheor. ſumma 2. c. 3.* quęcunque igitur ſunt aquę non craſſeſcunt ab igne, ſoluũtur enim ab igne, idem enim eidem ſecundum idem non eſt cauſa contrarij. *& paulò inferius;* Aqua autem humidorum non incraſſatur ſola. *Idem affirmat de generatione animalium lib. 2. cap. 2. de ſenſu & ſenſibilibus, cap. 4. purior autem fit aqua ratione caloris, quia calor quemadmodum aggregat ſimilia, ita diſsimilia diſgregat, & nulla elementaris aqua iuxta omnium ſapientum ſententiam adeo eſt ſimplex, vt omnem*

nem prorſus miſtionem excludat, quare cum ab igne fundatur, terreſtres partes in aqua exiſtentes ad fundum deſcendunt, & ſic aqua purior, ac ſimplicior euadit, & ad ſecretionem aptior redditur. Secundo reſpondeo cum Auicenna qui 2. primi Doct. 2. cap. 16. ita contra eos, qui dicunt, aquã ex coctione craſſeſcere, inuehitur. Et torpidi quidem medicorum exiſtimant, quod aquæ coctæ ſubtile reſoluatur, & ipſius remaneat ſpiſſum: Vnde in coquendo ipſam non exiſtit iuuamentum, quoniam ſpiſſitudinem in aqua augumentat, ſcire autem debes, quod aqua in ſuæ aquæitatis definitione, exiſtit ex partibus in ſubtilitate, & ſpiſſitudine ſimilibus, quia eſt ſimplex: ſed non inſpiſſatur, niſi propterea quod frigoris qualitas ſuper eam præualuit, aut propter fortem terreſtrium partium commiſtionem, quæ ob hoc quod ſunt puriſsimæ, ab ea nequeunt ſepari, neque deſcendere in ea, quia non ſunt tantę quantitatis, vt continuitatem aquæ ſcindere valeant, & in ea deſcendere ob multam paruitatem. Oportet ergo, vt eis accidat commiſtio cum ſubſtantia aquæ. Poſt hoc decoctio ſpiſſitudinem remouet: quæ propter frigus accidit primo: deinde partes aquæ vehementer rarificat, donec fiat ſubtilioris ſubſtantiæ, vt poſſint ab ea ſeparari partes graues terreſtres in eius ſpiſſitudine retentæ, & ſcindant, ſeu rumpant eam deſcendentes: & propter deſcenſum ab ea ſeparentur, & remaneat aqua, puræ, ac ſimplici propinqua: & erit illud, quod propter vaporationem fuit ſeparatum homogeneũ ei, quod remanſit: & nõ longinquũ ab eo: quia cum aqua à commiſto ſeparatur, eius partes in ſubtilitate ſimilantur, neq; multum intereſt inter eã, quę ſubleuatur, ſeu euaporat: & illam, quæ remanet: decoctio ergo non ſubtiliat aquam, niſi propterea, quia aufert ſpiſſitudinem frigoris,

& quia facit quod ei commiſtum eſt, deſcendere. *Quare concludendum aquam ex coctione perfectiorem ſemper fieri, & facilius ſecedere; ſed animaduertendum ex Galen. 4. in 6. de morbis vulgaribus ſuper text. 10. aquam eo vſque coquendam eſſe, donec æqualiter fundatur; diutius enim decocta ex eodem Gal. de alimentorum facultatibus cap. 32. ſalſam qualitatem acquirit. Ex Plinio autem lib. 31. cap. 3. vitioſæ aquæ remedium eſt ſi decoquatur ad dimidiam partem. Nec ſit qui dicat optimam, ac inculpabilem aquam decoquendam non eſſe, nam præterquam quod ſupracitati Auctores loquuntur etiam de optima, ac inculpabili aqua. Ex Raſi cap. 4. tract. 3. ad Almanſorem, quælibet aqua cocta minus eſt inflatiua. Et de aqua quantumcumq; optima Gal. in lib. de victus ratione in morbis acutis com. 3. ſuper tex. 4. hæc inquit.* Tardè igitur iure optimo meat aqua, difficulter coquitur, atque ægre deſcendit, quanquam alioquin, & optima ſit, & culpa omni vacet. *Quare aquam decoquare ſemper optimum eſt.*

De origine vini, & vinorum differentijs. Cap. XIIII.



NOE poſt diluuium ſecundum Hæbreos incipiente iam ſecunda mundi ætate, uini auctor fuit, ut patet ex lib. Geneſ. cap. 9. per hæc verba. Cœpitque Noe vir Agricola exercere terram, & plantauit vineam, bibenſq. vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo, &c. *Secundum Aegyptios Oſiris vitiſator, ac vini inuentor fuit, vt refert Tibullus lib. primo Eleg. his carminibus.*

Primus

Primus aratra, manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro solicitauit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaq; non notis legit ab arboribus
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
Hic viridem dura cędere falce comam.
Illi iucundos primum natura sapores
Expressa incultis vua dedit pedibus.

Secundum Græcos Bacchus vinum reperit, vt Athenæus refert lib.15. his verbis, Philonides medicus lib. de Coronis, & vnguentis Auctor est, translata è rubro mari vitæ in Græciã à Baccho, *& paucis interiectis*. Quapropter Græci, cum temetum inter cœnandum infertur mensæ, elato clamore bonum Deum inuocant, illumq; venerantes, qui reperit. fuit autem is, Bacchus. *hæc Athenæus.*

Secundum Latinos Saturnus vitisator fuit, viniq; Auctor, vt Plutarchus in parallelis testatur, Saturuus, *inquit*, apud Agricolam diuersans, eius filiam Oenotriam insigni forma compressit, & filios ex ea genuit quatuor, quibus Saturnus Pater serendæ vitis, & cõficiendi vini rationem demostrauit, & vt alios hoc idem edoceret permisit.

Idem ex Virgilio colligi videtur lib. 7. Aeneidos, dum sic canit.

Quin etiam veterum effigies ex ordine Auorum
Antiqua ex Cedro, Italusq; Paterq; Sabinus,
Vitisator curuam seruans sub imagine falcem,
Saturnusq; senex, Ianiq; bifrontis imago.

Seruius enim verbum illud, vitisator, *interpretans, vitisator, inquit, non inuentor vitis, sed qui genus vitis Italis demonstrauit populis, ex cuius scilicet fructu vinum conficiendum esset.*

Concludendum itaque hac in re, relictis antiquorum ambagibus, ex sacra scriptura Noè primum fuisse, qui terram exercuit, vineam plantauit, vinumq; confecit, licet enim Deus in mundi creatione necessaria quæque, eaque valde bona creauerit, inter quæ vitis etiam genus esset, tamen cum in prima illa ætate humanum genus vuam exprimere, vinique conficiendi rationem adhuc non didicisset, vitis fructu, vt cibo vtebatur, sicut etiam & herbis, alijsq; fructibus vescebatur: post autem diluuium incipiente secunda mundi ætate, Noè terram excolere cum cæpisset, sparsasq; pluribus in locis vites in vnum collegisset (quod nihil aliud fuit, quam vineam plantare) ex eius tandem fructu vinum primus confecit, ex quo etiam inebriatus est, vt superius dictum fuit, vt à filio suo Cham postea irrideretur, vt supra citato Genesis loco legitur.

Iam de vinorum differentijs, Galenus tertio de ratione victus in principio duas proponit de omnibus vinis generales distinctiones, quarum vna vinorum differentias secundum ipsorum propriam naturam comprehendit, Altera differentias, quæ vinis ex accidenti contingunt, explicat, & licet accidentales differentiæ, circumcumstantiæ extrinsecæ sint, vina tamen vna cum annis & saporem, & colorem, & facultates non mediocriter variant: A propria vinorum natura quinque eliciuntur differentiæ. Prima ex colore, secunda ex sapore, seu gustatu, tertia ex consistentia, quarta ex odore, quinta ex virtute, seu facultate vinorum. Quæ in colore est differentia, ea in album, & nigrum, fuluum & flauum, & rubrum diuiditur, ac in id quod medio modo se habet, vt in colore, sic etiam in virtute, quatenus scilicet diuersæ inter se qualitates quandoq; permiscentur. Quæ ex gustatu, ac sapore est differentia, ea in dulce, & austerum diuiditur,

uiditur, & ex his medium, tum quod nullam, quæ manifesta sit, habet qualitatem, tum quod ex vtraque constat qualitate. Praeterea & in id, quod acre appellatur: A cōsistentia aūt desūpta differentia, in aquosum diuiditur, ac tenue, & in valde crassum, et in horum medium, atque in ea, quę medium hoc, & extrema interiacent. Ab odore alia quidem vina boni odoris sunt, alia vero non boni odoris, sed ferientis, quandam, & insuauem nacta sunt qualitatem: alia nullo pacto odorem habent, sed sunt aquę instar sine odore. Differentia denique à virtute, siue facultate est, secundum quam aliud quidem potens vinum dicitur, aliud vero imbecillum, aliud medium, atque aliud quod medium hoc, & extrema interiacet. Vinum potens vehementer, celeriterq; caput calefacit atque ferit: Imbecillum contrario agit modo: quae vero medium obtinent, nota euadunt, si ab extremis distinguantur. Potens vinum, vinosum appellatur, imbecillum, aquosum, nempe in quo vinum aquam euincit, id, cum in aliquo vehementissimum esse videbimus, iure vinosum appellabimus: sicuti & contrarium, aquosum, quod aquae maximè in omnibus simile existit, tenuitate scilicet, & calore, & odoris carentia, & non manifesta calefactione. Hae igitur in vinis secundum propriam eorum naturam differentiae reperiuntur. Quae vero ex tempore differentiae sumuntur, secundum quas vina quaedam vetusta sunt admodum, alia recentia, & alia quae in medium horum consistunt, eiusmodi sunt, quæ extrinsecus adueniunt, quatenus scilicet vina temporis interuallo acriora, & calidiora fiunt, & vna cum his calorem etiam, substantiam, ac odorem variant, quae non per se, sed quatenus simul cum annis facultatem commōstrant, eatenus differentias facere videntur. Caeterum inter proprias, & essentiales vinorum differen-

tias,

tias, aliquae iuuant, laeduntq; propria ratione, quemadmodnm sunt, tum dulcedo, & austeritas, tum potentia, & imbecillitas, tum denique tenuitas & crassities. Sed differentiae, quae tum à calore, tum ab odore desumuntur, semper per accidens demonstrant: quatenus scilicet haec quidem vina, & aquosa, & alba, & fulua, & nigra, alia aquosa, & inodora, vt aqua, vel instar aromatis, vnguentique bene olentia. Hae igitur, inquit Galenus, sunt vinorum differẽtię, quę & secundum eorum propriam naturam, & per accidens desumi debent. Sed quo ad accidentales vinorum differentias, praeter temporis differentias allatas, aliae multae afferri possunt, nempe à Regionum, ac terrarum proprietate, à locorum situ, à vitium diuersitate, à certo cœli influxu, pręsertim vero fauore solis, ab anni constitutionibus, ab imbribus, à ventis, à mari, ac fluuiorum incursu, ac deniq; à proprio vinearum cultu. Proprietas Regionum, ac terrarum tanti momenti esse solet, vt refert Gal. 3. de Sympth. causis cap. 2. vt ratione varij nutrimenti, quod à terra varijs in locis subministrari solet, ob particularem eius proprietatem, vites eiusdem speciei, cum locum mutant, diuersum afferant vinum, vnde mirum non est, quod de lethali persico malo in Perside traditur, quae cum ex Perside in Aegyptum fuerit translata, sęuitiam amisit, adeo vt iure merito Princeps Poetarum 2. Georg. cecinerit.

Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymneo carpit de palmite Lesbos.
Sunt Thasiæ vites, sunt & Marotides albæ,
Pinguibus è terris habiles, leuioribus illæ.
Salsa autem Tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix, ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina seruat.

Plinius

Plinius idem affirmat lib.14. cap.6. dicens vini bonitatem ex Patria, & Terra prouenire, eandemq; vitem aliud alijs in locis pullulare. Idem docet Plutarchus lib. de Placitis Philosoph.cap.26. quinimo vina longam ipsorum conseruationem à terra habent, vnde Strabo lib. 2. haec inquit, Arianę Asiæ Regionis pars est Arachosia, optimi vini ferax, quod in vasis non picatis ad generationes tres perdurat. *Situs quo vites plantantur, plurimum etiam refert, vt vinum à vino differat: Bacchus enim (vt ait Poeta) colles amare solet, non campestrem regionem, & ideo eiusdem speciei vites in collibus longe melius vinum, quam in planitie generant. Ex vitium diuersitate, diuersa oriri vina omnibus patet, nam quaelibet vitis proprium suum genimen habet, cuius ratione hoc, vel illud vinum producit, itaut Albanum vinum, non nisi albanae producant vites, falernum falernae. Ex certo cœli influxu, & praesertim solis fauore, maximum discrimen inter vina oriri manifestum est, si quidem ex Aristotile primo Met. Mundus iste inferior superioribus lationibus est contiguus, vt omnis eius virtus inde regatur, & gubernetur; cum itaque diuersae regiones diuersorum astrorum praedominio subiaceant, ac diuersum solis aspectum habeant, ita & vina diuersas qualitates sortiuntur; à sole autem potissimum diuersitas haec contingere potest, quatenus suo accessu vegetalem calorem matrici terrae magis, vel minus influit, & prout diuersa loca magis, vel minus ad ipsum vergunt. Anni constitutiones ita conferre solent, vt si quandoq; accidat quædã specialis anni constitutio, quam vulgo annatam vocant, non solum vinum, sed cętera omnia perfectissima oriantur, vt superius ex Plinio demonstrauimus cap.3.fol.40.*

Ab imbribus & ventis, à mari, ac fluminibus vina differre

ferre maxime possunt, nam si vites temperato imbre, ac leni aura perflatae fuerint, & vel mare propinquũ sit, vel ab aliquo flumine terra irrigetur, haec inquam omnia magnã efficaciam conferre possunt vinorum naturae, & praecipue à mari hoc sequi potest, tum quia per terrae porositates ab ipso propinquis regionibus humor communicatur, quo terrae vegetalis fomes ad fruges nutriendas irroratur, tum etiam quia benignas, ac puras auras exhalare solet, ex quo fit etiã, vt homines, qui marinas incolunt terras, coloratiores, ac robustiores existant. Deniq; diuersus vinearum cultus quanti momenti sit ad hanc vel illam vini naturam gignendam, qui Ruri incumbunt, optime norunt; certum est enim optime aratam terram magis mansuescere, ac vites ex vario cultu non solum fœcundiores, vel infœcundiores fieri, sed & vinum melioris, vel deterioris naturae afferre. Haec de vinorum differentijs dicta sufficiant.

Quomodo vinum diluendum, ac de vini vsu secundum ætatem, temperaturam, consuetudinem, exercitium, anni tempus, & corporis habitum. Cap. XV.



OTVS, cum nulla alia ratione requiratur, nisi ad sitis extinctionem, certè eo maximè potu quilibet vti deberet, quo huiusmodi finem consequi facilè posset. Clarum itaque est ex modico vino multae aquae admisto facilius sitim extingui, quam si multum vini addatur. Si quidem ex huiusmo-

iusmodi mistione corpus magis refrigerari, ac humectari par est. Quod Gal. adamussim nos docet lib. primo de simpl. med. facultatibus cap.29. vt superius diximus, quae Galeni sententia manifestè demonstrat, vino eatenus nos vti debere, quatenus facit ad aquae distributionem, non autem ad extinguendam sitim, quia sitis extinctio ab aqua, quae frigida, & humida est, prouenire potest, non autem à vino, quod calidum omnes fatentur. Et quoniam, vt in praecedenti cap. dictum est, vinum facultate maxime differt, quatenus aliud est potens, aliud imbecillum, aliud medium, atque aliud quod medium hoc, & extrema interiacet, secundum quas differentias, vel calidum, vel mediocre, vel frigidum, idest parum caliditatis in se continens dici potest: hinc manifestum est, vini & aquae mistionem ex ipsius vini facultate desumendam esse, nam si vinum potens, & calidum sit, modica vini quantitas aquae permisceri debet, si mediocre, plus vini aquae augeatur, si frigidum idest aquosum, & minus calidum sit vinum, maior adhuc vini quantitas addi debet. Praeterea ex hominum etiam ętate, ac temperatura huiusmodi mistio perpendenda est, quippe pueri ita dilutum vinum bibere debent, vt potius aquam, quam vinum sapiat, quinimo cum Galeno consulerem, vt à vino penitus abstinerent, & aquam boni fontis biberent; Galenus enim lib. 1. de sanitate tuenda cap.11. haec dicit: sanè vinum, quam diutissimè, qui ea natura puer est, ne gustare quidem suaserim, quippe quod haustum, & humectat nimiũ, & calefacit corpus, tum caput halitu replet ijs, qui humido, calidoq; temperamento sunt, quale est huiusmodi puerorum. Atque nec repleri his caput est vtile, nec ipsos supra quam par est, humidos, calidosq; fieri: Quoniam eo caloris, humorisque peruenerunt, vt si paululũ vtrãque

quali-

qualitatem auxerint, iam modum excesserint. cum autem sit omnis excessus fugiendus, maximè hunc fugere expedit, ex quo non corpori modo, verum etiam animo damnum accedit. quare neque iam adultis vinum, nisi modicè sumptum, existimandum est vtile esse: Quod videlicet ad iram præcipites, & ad iniuriam incontinentes facit, & partem animæ rationalem hebetem, turbidamq; reddit. *Hoc idem nos docet Plato 2. de legibus dicens:* pueri circa duodeuigesimum annum à vino prorsus abstineant, causamq; docebimus, quod videlicet ignem super ignem in corpus, animamq; antequam labores capessere incipiant, inducere non conueniat: atque ita iuuenilis habitus in furorem propensi rationem habebimus. Postea vero ad trigesimum vsq; annum, vinum quidem mediocre gustare conuenit, sed ab ebrietate, ac vinolentia iuuenes penitus abstinendi sunt. At quadraginta iam annos nati in conuiuijs epulantes alios Deos, & Bacchum præcipuè inuocent, vt seniorum sacris, lusibusque intersint. Qui cæteris mortalibus subueniens, aduersus senectæ acerbitatem, vinum vt remedio esset, largitus est: vt nos repubesceremus, ægritudinesq; animi obliuisceremur, atq; animi mores duriores, tanquam ferrum igni impositum, remollescerent, & melius effingi, informarique valerent, *Auicenn. 3. primi Doct. 2. cap. 8. sic inquit:* & pueris quidem vinum ad bibendum dare, est sicut ignem igni addere in lignis debilibus, sed seni quantum tolerare potest da, & iuuenibus da ipsum temperatè. *Quod autem vini, ac ignis eadem sit vis, legitur etiam apud Athenæum lib. 2. Aristotiles lib. de somno & vigilia cap. 4. affirmat, vinum pueris, & nutricibus non conferre, & nihil forsitan differre ipsos bibere, uel nutrices; causam uero, ac specialem noxam edixit*

lib. 8.

lib. 8. de hist. Animalium cap. 6. asserens, idcircò, & infantibus, & nutricibus interdictum esse vinum, quod eos ad epilepsiam, quam caducum vocant morbum, reddat obnoxios, *ut non mirum si hac nostra tempestate hoc præcipuè sæuissimo morbo pueri vexentur, ac multi repente intereant, quia tam genitores ipsi, quam puerorum nutrices licenter nimium vino indulgent. Ex superius dictis clarè patet vsque ad xxij. annum iuuenes à vino penitus abstinere debere, & summa quidem cum ratione, nam cum in huiusmodi ætate semper eorum corpora ad incrementū tendant, vinum ipsis maxime aduersatur, feruentem enim ipsorum naturam concitato motu conturbatā calefacit, & in immodicas, vehementesq; mutationes furore correptam impellit. Ab hoc autem tempore vsque ad quadragesimum annum, vinum mediocre gustare conuenit; A quadragesimo anno, quo tempore, vt plurimum vita hominis manifestè declinare incipit, largius vinum exhiberi potest, ita vt concludendum videatur, in tres ætates, quo ad vini exhibitionem, vitam hominis dispertiri posse, in iuuenilem ætatem, quæ ita protrahatur donec homo incrementum suscipit, quo tempore nullo pacto vinum ex Gal. & Platone competere possit. In ætatem consistentem, siue medio modo se habentem, & huiusmodi ætatis hominibus mediocre vinum gustare liceat, ac deniq; in senilem ætatem, cui ætati vinum maxime idoneū censeri debeat. Præterea Gal. 5. de sanitate tuenda, cap. 5. asserit,* sicuti pueris vinum est alienissimum, ita senibus est aptissimum, *cuius rei rationem afferre videtur lib. supracitato cap. vltimo, quia scilicet, senum natura frigida, & sicca existit. Præterea ex eodem Galeno quo ad vini potum, naturas etiam, siue temperamenta respicere debemus, lib. enim de bonitate, & vitio succorum cap. 11. sic loquitur.*

In

In cibo omni, ac potu præstiterit, non simpliciter ita vno quoque vti, nisi distinctis vtentium prius naturis. *Naturarum itaq; ex eodem Gal. lib. de dissolutione continua cap. 1. quædam sunt temperatæ, quibus dominatur naturalis sanguis purus, & mundus, & quædam non sunt temperatæ, & dominatur phlegma, aut vna ex choleris; temperatis naturis mediocri facultate vinum conuenit; quibus phlegma, siue melancholia dominatur, potens vinum requiritur; quibus bilis, tenue vinum exhibendum est, vel etiam aqua ex Hipp. 6. Epid. vbi asserit calido naturaliter, frigidæ potionem conuenire, & quiescere. Gal. autem lib. de bonitate, & vitio succorũ c. 11. diuersas hominũ naturas respiciens dicebat,* corporibus bilisioribus, siue naturalis intẽperatura ea fuerit, siue qualitercunque tandem acquisititia, dulce vinum & odorum non conueniunt, quia huiusmodi vina calida sunt. Nec biliosis igitur vinum tale concedendum est, nec perustis, neque in labore multo, aut inedia, aut mœrore, aut anni tẽpore, vel cœli statu calido. Idem è diuerso in ijs probatur, qui excalefactione opus habent, ac pituitosis, frigidisq; intẽperaturis, crudiorumq; humorum copiam colligentibus, vitam ducentibus otiosam, in regione frigida, hyemis tempore, cæli statu frigido, atque humido: his omnibus flauum vinum, dulceque bonum est, malum, qui contrario modo se habent, non quatenus succos vitiosos creet, sed quod calefaciat, quos refrigerare conueniebat; facilè namq; hi si tale biberint, & caput dolent, & febricitant, & neruis aliquo pacto tentantur. *Constat etiam ex Galen. lib. de attenuante dieta cap. 12. vina quæ odora sunt, calidiora esse alijs vinis, & caput tentare, itaque præcipit huiusmodi vina ab ijs vitanda esse, qui cephalea, aut hemicrania, aut alia cephalalgia laborant, aut*

epilepticis, & maniacis. Deinde addit, & vt in summa dicam, omnibus quibus caput infestatur, sunt fugienda. *Consuetudo etiam hominum maximè indicare potest, an vinum potentius, an tenuius, an cum maiori, vel minori aquæ quãtitate exhibendum sit. Gal. enim lib. 4. de sanitate tuenda cap. 6. affirmabat,* quibusdam, qui dilutiori vino consueuerunt, caput statim, si vel pusillo meracius hauserint, tentari: quibusdam, qui meraciori delectantur, stomachum, si dilutius biberint, subuerti. *Et hoc quotidiana etiam experientia nos docet: Exercitium etiam perpendi maximè debet; homini enim exercitato vinum potens, & vinosum idoneum non est, quia nimis calefacit, vinum autem tenue, siue optime dilutum in decenti quantitate, conducit. Secundum etiam anni tempus vina diuerso modo exhibenda sunt; ex Gal. enim lib. de renum affectus dignotione, & medicatione cap. 6. hyeme aliorum anni temporum comparatione, minimum bibendum, Vere adueniente potus vberior, parumque dilutior conducit, Aestate plurimum, et aquosissimum bibendum est, Autumno cum huiusmodi tempus sit medium inter æstatem & hyemem, mediocris potus, & non ita aquosus eligendus est, quod docet etiam Celsus lib. 1. cap. 3. Idem Polybus affirmat lib. de salubri dieta in principio, quoad potus quantitatem, sed docet hyeme vinum, quam meracissimum esse debere, æstate quam dilutissimum. Habitus etiam corporis pinguis, vel gracilis, vel mediocris maiorem, vel minorem vini quantitatem, potentius vel imbecillius vinum, & maiori, vel minori aquæ copia refertum postulat. Galen. enim lib. 14. Meth. cap. 15. docet, pinguiori corpori vitanda, quæ multum nutriunt, quemadmodum sunt crassa vina, item dulcia, præsertim nigra, vti vero vel aquosis licebit; idest colore albis, consistentia tenuibus. Contra qui extenuati*

 sunt,

ſunt, quos reficere intentio eſt, his vinum exhibebimus craſſum & dulce. De vſu autem vini quoad varias ipſius differentias, nempe quatenus, vel album eſt, vel nigrum, vel rubrum, vel alterius coloris, vel dulce, vel auſterum, vel tenue, vel craſſum, vel odorum, vel inodorum, non eſt cur normam aliquam cuilibet præſcribam, quia vt Galenus dicit lib. de diſſolutione continua in principio, hominibus omnibus infuſa eſt virtus appetitus ad cognoſcendum horam ſumendi cibum, & potum, neceſsitatem ipſorum, quantitatem, & ſpeciem. *Quo itaque ad potus ſpeciem quiſq; prout ſua appetit natura, vino uti poterit dulci, vel auſtero, vel alijs ſaporibus referto, craſsiori vel tenuiori, diuerſæ enim naturæ, diuerſum potum deſiderant, quoad eas differentias, quæ à guſtatu deſumuntur. Aliqua tamen communiter de ipſis vinis ex Hipp. & Gal. ſubijciam, nã ex Hipp. notum eſſe debet, dulce uinum lienem, iecurq. tumefacere, & corporibus picrocolis, ijs ſcilicet qui amara bile abundant, infeſtiſsimum eſſe, licet minus quam uinoſum, caput grauet, & mentem feriat; Eiuſdem ſententiæ eſt etiam Gal. lib. 2. de naturalib. facultatibus, cap. 8. ubi aſſerit,* dulcia calidis corporibus, ſiue ea naturæ ratione, ſiue ætatis, ſiue temporis anni, ſiue regionis, ſiue conditionis vitæ talia ſint, bili generandæ cauſam præbere; ijs verò qui contrarij ſunt habitus, ſanguini. *Plutarchus lib. 3. Symphoſiacon quæſt. 7. ex Hagia inquit,* dulcia vina vſquequaque offendere, & ſatietatem inducere. *Quæ autem uina conferant calidis naturis docet idem Gal. 12. Meth. cap. 4. ſic ſcribens,* ijs qui amara bile abundant, conferunt vina auſtera, quæ ex vetuſtate aſtringendi vim amiſerunt, & calorem admodum euidentem habẽt. *Sciendum eſt etiam ex Gal. lib. de bonitate, et vitio ſuccorum c. 11. uetuſta uina, et nouella nullo pa-*

cto

cto conducere ; dicit enim eo loci : vetustorum vinorum potus adeo fugiendus, sicuti nouellorum nimium: hæc enim plus iusto, ista neutiquam calefaciunt (maximè autem à vinis natura crassis abstinere conuenit) donec nouella sint: si quidem tantum abest, vt ad ciborum coctionem conducant, vt vel ipsa ægrę concoquantur: Præterea nec aluum subeunt, nec facilè distribuntur, neque vrinas mouent, nec sanguificationi, nec nutritioni conferunt: tum in ventre diutius moram trahunt suspensa, vt aqua: sique de his paululum quis biberit, promptè id acescit. Sola ea vina bona esse possunt, si bibantur nouella, quæ substantia tenuia sunt, quod genus in Italia est, quod gaurium vocant, & albanum, eorumq; quæ in Sabinis & Thuscis nascuntur quædam, neque enim cuncta huiusmodi sunt: sed circa Napolim quoq; in eminenti huic colle natum Amineum, quamprimum bibi potest: tale est in Asia apud nos Tibenum, & Arsynum, deinde etiam Titacazenum. Atque hæc ego exempli gratia retuli. Cæterum huiusmodi vina vbique ferè gentium reperi, sed quæ aduenæ ignorant duplici de causa, cum quod paucissima omnino proueniunt: tum verò quod longam nauigationem non sustinent, nec possunt propterea à mercatoribus in alienas Regiones transuehi. *Quo autem ad uetusta uina, licet hic dicat Galenus fugienda esse, quia plus iusto calefaciunt, manifestum tamen est, multa alia mala afferre, nam uinum uetustum, ac potens maxime caput lædit duplici ratione, tum sui qualitate uaporosa & calida, quæ cerebri substantiam opplet, atque dissoluit, tum etiam quia uirtute sua exhalans ad caput uinum, quicquid in corpore ex humoribus concretum, & crassum reperitur, id fundit, & in maiorem uaporum copiam conuertit, qui coaceruati in uentricu-*

lis cerebri, omnigenos ex fluxione, ac plenitudine parit morbos, & ex Gal. ſententia 5. de ſanitate tuenda cap. ultimo, ſinanches, diſtillationes, quos catharros uocant, hemorroidas, ſanguinis profluuia, articulares morbos, opthalmias, peripneumonias, pleuritides. Auicennas autem lib. 3. fen. 13. tract. 2. cap. 2. ita loquitur; & multoties moritur homo ex potu vini veteris inflammatus, & conturbatus, & ſitiens. *Nec per uetuſta uina ex Galeno quiſquam intelligere debet uina trium, uel quatuor annorum, quia huiuſmodi uina potius nouella nimium ab ipſo appellantur, præſertim ſi uinoſa ſint, ſed per uetuſta uina Galenus intelligit uina multorum annorum, quæ à Romanis Cæcuba uocabantur, ut ipſe Galenus affirmat, & ex longo temporis interuallo amaritudinem contrahere ſolebant: Vina porrò trium uel quatuor annorum nouella dicta eſſe Galeni tempore, manifeſtè conſtat ex eodem Galeno lib. 1. de Antidotis cap. 3. ubi hæc ait;* Interdum, & aquoſa quidem vina ad vetuſtatem perueniſſe vidimus, ſi primis tribus annis vel quatuor acida non euaſerint; *de potentibus autem uinis dixit:* Potentia autem vina, & auſtera, & alba vina cum craſsitie, quandoque poſt decennium etiam non ritè ſeruata aceſcere contingit: contingit & quam plurimo tempore vetuſteſcere; Talia ſunt in Italia, Tyburtinũ, Signinum, Marſum, & Surrentinum. De Surrentino autem vino dicit ante annum ferme vigeſimum crudum adhuc eſſe, vigeſimo autem anno vigere, potuique aptum diù præſeruari, nec facilè amareſcere, præſtantiaq; cum falerno contendere. *Falernum enim, & albanum ex Italicis uinis, ut inquit Athenæus lib. 1. ſuauiſsima & gratiſsima erant, & ideo idem Galenus lib. ſupracitato cap. 14. aſſerit in Antidotis falernum elegiſſe, dum uiginti annorum ætatem attigiſſet,*

ſet, quod eo vſque ad hunc effectum, optimum eſſe dixit, donec ſubamareſcit. De tempore autem quo imbecilliora vina ad eam vetuſtatem, & perfectionem deueniunt, vt potui idonea ſint, Gal. meminit 7. Method. cap. 6. dum aquoſi vini exemplum affert, ſic inquiens. In Italia aquoſum vinum eſt Sabinum, Arſinum vero in Aſia; *& paulo inferius hæc verba profert*, Quocirca citius ſexto anno nobile Sabinum idoneum non eſt, quod diutiſſimè in ſtomacho, ac ventriculo innatet, & fluctuationes faciat. Nobile verò quod auſterum eſt, non Sabinum modo, ſed etiam Adrianum, & Albanum, & Arſynium, & Titacazenum, omniaq; id genus. *Vina itaque optima erunt, quæ nec vetuſta admodum ſint, nec nimium nouella, non ſolum ex Galeni ſententia, vt ſuperius dictum eſt, ſed etiam ex Auicenna, qui 3. p. Doct. 2. c. 8. ſic loquitur.* Ex vinis illud eſt melius, quod inter vetuſtatem, & nouitatem eſt æquale: & eſt clarum, album, quod ad rubedinem trahit, bonum habẽs odorem, æqualis ſaporis, & quod neque eſt acre, neque dulce. *Eiuſdem ſententiæ eſt etiam Plinius lib. 23. c. 1. dicens*, ſua cuique vino ætas gratiſſima, hoc eſt media: *Et donec naturalis calor in humano corpore maximè viget, potius vina aquoſa, & paucifera probarem quam vinoſa, & multifera: Verum quoniam non omnes vina ſeligere poſſunt, ſaltem conſulo, vt cum vinoſis & multiferis vinis aquam multam bibant, quæ vinum ſatis excedat; non enim alia ratione exiſtimo hac noſtra tempeſtate, tot tantaſq; fluxiones fieri, tot articulares morbos, et reliquas affectiones ſuperius allatas, niſi ex maxima incontinentia circa meracioris vini potum. Et quoniam aliquis fortaſſe, qui in Arte medica peritus non ſit, libenter audiret, quæ nam ſint vinoſa vina, & quæ aquoſa; Propterea ſciendum eſt ex Gal. in lib. Hipp. de*

victus ratione in morbis acutis com. 3 super text. 20. vbi loquens Hipp. de mulsa dicit. Cæterum vino albo tenui, paucifero, & inodoro, quodammodo fortior est, & quodammodo imbecillior: *interpetrans Galenus huiusmodi verba, docet aquosi, ac vinosi vini naturam, sic inquiens:* Vocatur siquidẽ oligophorum, siue pauciferum, quod, vt bibatur, minima eget aquæ mistione. Contrario autem modo poliphorum, vel multiferum appellatur, quod, vt bene temperetur, multam exigit aquam: ęquiualenter dixeris, quod aquæ multum sustinere possit ad bene temperatam mistionem. Quod vero pauciferum appellatur, id exolutum imbecillumq; & ad potum inutile redditur, si multa dilueris aqua. Atq;, quæ in vino hoc est carentia odoris, ea imbecillitatis, frigiditatisq; efficacissima existit nota, quippè in hoc aquæ est assimilis: non secus, quã fortis odor efficacissimum roboris signum. Vinum siquidem aquosum leuissimam in ligno vitis habuit transmutationem: leuissimam quoq;, & elementi terrei permistionem, ita vt aqua sit, quæ tum paulum terræ, calidæq; substantiæ assumpserit, participsq; fuerit, tum leuissima in horum coniunctionem indiguerit confectione. Contrarium autem tum vinosum, tum multiferum, neque à leui confectione tale efficitur, vtpotè quod ab aqua longissimo recedat interuallo. Qua de causa insignem consequutum fuit tũ caliditatem, tum odorem. *Ex his Gal. verbis constat, quæ nam sit natura oligophori, & poliphori vini, & de oligophoro multis in locis loquitur Galenus, præsertim vero hoc eod. com. super tex. 8. fusius oligophori naturam describit, nec inutile esse puto eius verba etiam recensere. Nam Principibus omnibus, qui alijs præsunt, ijs qui litteris incumbunt, & omnibus hominibus donec in florenti ætate constituti sunt, huiusmo-*

iusmodi vinum aptissimum est, dicit itaque Galen. eo loci, Est autem vinum hoc album colore, substãtia tenue, nullam earum, quæ cæteris vinis insunt, habens qualitatem, neque austeritatem, neque acerbitatem, neque dulcedinem, neque acrimoniam, neq; odorem. Nempe vino huic omnium soli, vt tum aquæ, tum vini mala effugeret, est datum. Prodeunt autem talia in vnaquaq; gente aliqua. in Italia imbecillum Sabinum, quod febricitantibus administrant, in Asia Titacazenum, & Tibicenum. Sed vini huius notas vbi intellexeris, talia facile in qualibet gente reperies, vbi & valde tenuia, & aquosa producuntur vina. Reperi equidem talia in Cilicia, Phœnicia, Palæstina, Scyro, & Creta, in quibus regionibus non facile gignuntur vina tenuia, & aquosa: immo, vt retuli, in Regionibus vidi omnibus, & quod mirum magis sit, in Aegypto Crassa siquidem vina, & odora, & valde fortia feruidis progignuntur regionibus: In Italia vero, & Bithynia, & Asia, si multa producantur aquosa, nihil mirum. *Hæc Galenus. Ex dictis itaq; quilibet aquosum vinum reperire facilè poterit, quorum in Italia multa producuntur, & præsertim in Ditione Põtificia quolibet in loco reperiri possent, nisi extra Vrbem, multis in locis vina excoquerent, præsertim vero in Campania, in Sabinis, in Vmbria, ac Piceno; quam consuetudinem probare non possum, quia cocta vina nimis calefaciunt, mentemq; turbant, nec quibusdam, qui diuites sunt, rationem quam adducunt, admittere possum, nempe vina acescere, nisi decoquantur, quia si optimas cellas vinarias construerent, vt in quarto huius opusculi capite docui, & maiorem diligentiam adhiberent in vuarum selectione, doliorum mundificatione, ac alijs in rebus, quemadmodum multis in locis fieri solet, in Vmbria præsertim, & Piceno*

vina selectissima essent, cum huiusmodi Prouinciæ à natura non minus frequentibus, quam amænis, apertis, & fructiferis collibus ornatæ, atque instructæ sint, & vineæ omnes optimum situm teneant, quæ uineæ licet ob locorum fertilitatem fimo, ut plurimum non indigeant; solent tamen ipsum ijs inferre, ut uuæ pinguiores euadant, deinde ne uinum acescat, ualde admodum decoquunt præter omnem rationem, itaut aliquibus in locis musta ferè ad sapas usque decoquãt, quod Plinij etiam tempore contigisse, idem Plinius refert lib. 14. c. 19. Sed iam ad nostrũ institutũ rediens, & huic capiti finem imponẽs dicam, Proceres, et diuites qui suam sanitatem tueri cupiunt, dare operam debere, ut semper aquosa uina bibant, uel uino abluto utantur, quod ab Auicenna 3. p. doct. 2. cap. 8. sic describitur. Bonum quidem vinum, quod ablutum vocant, est, quod ita fit. Tres musti sumantur partes, & aquæ vna, & commisceantur, & coquantur quousq; quarta pars minuatur: *Iis uero, qui multiferis uinis uti coguntur, consulam cum Gal. lib. de renũ affectus dignotione, & medicatione cap. 7. ut uigente saltem ætate fontanam bibant, & eam defecatam, de qua plus sumant, quam de uino. In senectute autem liberalius tenue uinum, & fuluum concedendum est, nam huiusmodi uinum omnia senum membra calefacit, & per urinam serum sanguinis expurgat, ut Gal. lib. 5. de sanitate tuenda cap. 5. affirmat. Ex dictis itaque quilibet optimam, & competentem sibi potionem eligere potest, ut optimam sui corporis temperiem conseruare ualeat, ac diu uiuat. Liuia enim Augusta, ut Plinius refert, lib. 19. c. 5. octuaginta annos uitæ pucino uino in Istris retulit acceptos, non alio usa, quod eo magis faciendum est, quia ex optima corporis temperie, animi etiam uirtutem comparare maxime possumus; dicebat enim Galen. lib. quod animi mo-*

res

res corporis temperaturam sequuntur cap.1. Per potionem bonam, corporis temperationem adipiscentes, ex ea quoque ad animi virtutem comparandam non nihil opis afferemus, quemadmodum Pythagoram, & Platonem, aliosque nonnullos veteres fecisse testantur historiæ; *Et hoc vnum præ oculis habendum, vt vinum semper dilutum ab omnibus bibatur. Nam, vt ait Plutarchus de audiēdis Poetis;* Vinum quod noxium habet, aufert aqua, *Et ideo apud Athenæum lib.2. & lib.4. legitur Amphityonem Atheniensium Regem, qui primus vini conuenientem cum aqua mistionem à Baccho didicit, ac Atheniensibus indicauit, aram ob tātum beneficium recto Baccho in horarum delubro ædificasse, cum reuera Bacchus rectus sit, minimeq; titubet, ac noceat, si vinū modicè dilutū bibatur, Lib. vero 15. ex Philonide medico lib. de Coronis, et vnguētis habetur,* trāslata è rubro mari vite in Greciam à Baccho, multisq; intemperanti voluptate delinitis, & merum bibentibus, cum alij furijs acti insanirent, alij obruti vino, & crapula conciderent mortuis similes, quibusdam ad litus maris compotātibus ingruente pluuia, dissolutum conuiuium, ac poculum in quo parum vini relictum fuerat, aqua repletum esse; Deinde cum factum rursus esset sudum, ac serenum cœlum, conuiuas in eundem locum reuersos, vinum dilutum gustantes, mitem atque minimè molestam voluptatem sensisse. Quapropter Græci, cum temetum inter cœnandum infertur mensę, elato clamore, bonum Deum inuocant, illum venerantes qui reperit. Fuit autem is, Bacchus, cum vero post cœnam, primum aqua temperatum poculum ministratur, Iouem seruatorem exultātes acclamant, pluuiæ largitorem, & moderatorem existimantes, iucundæque temperationis, ac commistionis Auctorem.

Cuius temperationis, ac commistionis ex eodem Athenæo libro decimo. Duo fontes adsunt, alter voluptatis, quem non iniuria cum melle tu comparueris, alter prudentię, qui sobrietatem suadet, ac vinum prohibet, quam aptè conferas cum aqua salubri, sed austera; Hos optimè vt misceamus, prompto animo magnoq; studio est enitendum. *Hæc Athenæus: Nos itaque vinum temperaturi, prudentiæ fontem, non voluptatis sequi debemus, vt apud eumdem Athenæum lib. 11. fecisse legimus Gorgiam Leontinum, qui cum ad octogesimum ferè annum integra mente vitam traduxisset, interrogatus, qua victus ratione sic validus, ac sensibus illæsis tam diu vixisset, respondit, quòd voluptatis causa nihil vnquam sibi permisisset facere, ideo tam longæuam vitam duxisse. Sed hic quærere posset aliquis, numquid certa lex præscripta esset apud antiquos ad conuenientem aquæ, ac vini commistionem? Cui interrogationi respondeo, iuxta antiquorum consuetudinem, Plutarchum tertio Symp. quæst. 9. tres mistionis modos, tribus musicalibus consonantijs similes tradere,* hemiolium, cum tribus aquę partibus duæ vini adduntur, diatessaron, cũ tribus aquæ vna vini, diapason, cum vni vini duæ aquę. *Ex Athenæo autem lib. 10. deipnos habemus, priscos quinque aquæ partibus duas vini, vel tribus aquæ, vnam vini addidisse, iuxta iactatum apud eos prouerbium, bibenda quinque vel tria, sed minimè quatuor, licet nec huiusmodi mistio, ijs temporibus satis esset, vt vinum optimè dilutum dici posset, ac innoxiũ, ex eo quia potentibus admodum vinis, ac diu fumo inueteratis vtebantur, adeo vt Plinius lib. 19. cap. 4. referat, vt alibi dictum est, neminem ex antiquis Romanis tam senem fuisse, qui ante se genita vina non biberet, & hoc vnum admiratione dignum uidetur, quod inter vetusta illius tempo-*

ris

ris vina, Maroneum vinum adeo vinoſum erat, ac indomitum, vt viginti aquæ partibus vna vini portio miſceretur, referente Plinio lib.14.cap.4.his verbis. Maroneum vicies tanto addito aquę miſcendum Homerus prodidit: Durat etiam vis in eadẽ terra generi, vigorq; indomitus. Quippe cum Mutianus ter Conſul ex his qui nuperrime prodidere, ſextarios ſingulos octonis aquę miſceri compererit, præſens in eo tractu. Eſſe autem colore nigrum, odoratũ, vetuſtate pingueſcere. *Quod cum hac noſtra tempeſtate in vſu non ſit, ſed vinis vnius, vel duorum annorum ad ſummum vtamur, eaque vetuſta dicantur; vini & aquæ miſto conueniens, ac innoxia ea erit quam ſuperius retulimus, & eo magis ſi ſeſquihora ante cœnam, ac prandium talis miſtio fiat. Galenus enim lib.1. de elementis cap.9. inquit,* tempore opus eſt, vt eorum, quæ commiſcentur, mutuæ particulæ inter ſe inuicem exactè agant, & patiantur, atque ita totum id, vnum & ſibi vndique & penitus ſimile euadat. Et hac de cauſa nonnulla poſſunt ſtatim poſt miſtionem ſegregari: Quæ ſi diutius permanſerint, donec totum factum fuerit vnum, nequit alterum ab altero amplius ſeparari. *Quare danda opera eſt, vt aquæ & vini perfecta miſtio fiat, ſic enim inter ſe liquores facilè coaleſcunt, nec vlla repugnante qualitate coctioni reſiſtunt, vt contingit, dum vinum vulgari modo inter epulas dilutum bibitur, facilè enim caput tentat, & ructus, flatuſque excitat.*

Quo-

Quomodo vinum prosit, aut noceat. Cap. XVI.



VEMADMODVM vinum moderatè sumptum multa bona corpori, & animo præstare potest, ita immoderatè sumptum, malorum omnium est origo, & propterea apud Athenæum lib.11. Socrates vino moderatè sumpto has tribuit virtutes, Vinum animos rigans, tristitias, & dolores quemadmodum mandragoras sopit, & hilaritatem, sicut oleum flammam excitat, plãtarum quoq; exemplo, quę temperato imbre, & leni aura perflatę rectè augescunt, & florent, ad frugemq; perueuiunt. *Aristoteles 30. sect. problematum asserit, vinum moderatè sumptum coctionem iuuare, cor exhilarare, cerebrum, & spiritus animales fouere, somnum conciliare. Plato 2. de legibus dicit,* à Deo vinum contributum hominibus, quasi optimum præsidium conseruandi senectutem, quod vino iuuenescere videantur, & abolere mœstitiam. *Gal. lib. de causis morborum cap. 3. affirmat, vinum modicè sumptum calorem naturalem augere, lib. vero de composit. pharmacorum secun dum locos, cap. 7. sic loquitur:* Vinum nutrit, concoquit, roborat, putrefactioni resistit, & intemperiem à frigiditate, & humiditate contractam, citra omnem molestiam, ac secure persanat; *Auicenn. 2. primi Doct. 3. c. 11.* Vinum, *inquit,* ex sui essentia fortes efficit sanos: & viuificat virtutem: propterea quod velociter præbet augmentum in

sub-

ſubſtantia ſpiritus. *Plutarchus dicit, vinum hilaritatem afferre, metum abijcere, & veritatis fœcundiſſimum eſſe. Plinius lib.23.c.1. hiſce uerbis utitur*, Vino modico nerui iuuantur, copioſiore læduntur, ſic & oculi. Stomachus recreatur, appetentia ciborum inuitatur, triſtitiæ cura hebetatur, vrina, ac algor expellitur, ſomnus cõciliatur. Præterea vomitionem ſiſtit, collectiones extra lanis humidis impoſitis mitigat, *Deinde ſubiungit*. Aſclapiades vtilitatem vini æquari vix Deorum potẽtia poſſe pronunciauit.

Apud Athenæum lib. 2. hęc legimus.

------- Vinum Deos.
Mortalibus monſtraſſe: recte vtentibus
Summum bonum: intẽperãter vero, ſummũ malum.
Illos enim, modeſtè qui bibunt, alit,
Animumq; pariter, & corpus roborat:
Ad vſus medicinæ varios eſt vtiliſsimum:
Miſcetur ijs, quæ propinantur pharmacis:
Vlcera lauare corporis vino expedit:
In quotidianis hominum conuictibus
Modicè bibentibus, dilutum, ac ſobrijs
Animum exhilarat: at modus
Si non adhibeatur, contumelias parit.
Par pari ſi bibitur, adigit ad inſaniam:
Si merum, reſoluit artus corporum;
Quapropter Bacchum omnibus in locis vocant
Medicum: quibuſdam vero edixit Pythia
Bacchum vocandum ſanitatis Præſidem.

Dicendum itaque ex vino modicè ſumpto, quod antiqui lætum terræ fructum vocare conſueuerunt, omnia bona tum corpori, cum etiam animo euenire, ex immoderato uero ipſius uſu, omnia mala oriri fatendum eſt: & ut à nobiliori

homi-

hominis parte incipiam, nimirum ratione, qua homo à cæteris omnibus animalibus differt, exploratum est, ex immodico vini vsu huiusmodi partem ita affici, vt amplius suo officio fungi non possit, & ipsius loco vinum tanquam Tyrannus quidam imperet, ita vt homo multa præter rationem edat, non secus, ac si irrationale animal esset; dii enim à vino peruincitur, quæ dicenda non sunt, profert; ad multum risum, vel etiam fletum absque vlla ratione excitatur, lætus nimis, vel tristis efficitur, furens, vel mitis sine causa redditur, audax, vel timidus euadit, ad liberalitatem, vel auaritiam est procliuis, ad amorem, vel odium incitatur, loquax, vel taciturnus fit, & ad multa alia à vino sic imperante, hominis ratio trahitur, prout diuersam hominum propensionem inuenit, & secundum maiorem, ac minorem vini quantitatem; dicit enim Aristoteles 30. sect. problematum, problemate primo, Vbi vinum hominem frigentem, taciturnumq; à sobrietate accepit, paulo liberaliori poculo refouet, excitatq; ad verba, tum largiori potu verborum vberem, eloquentem, fidentemq; reddit: post hoc in contumeliam, ac petulantiam vertit: mox ad insaniam propemodum accendit: postremo nimio ex potu resoluit, stultumq; agit in modum eorum, qui à pueris morbo laborant comitiali, aut etiam eorum, qui vitijs atræ bilis maiorem in modum continentur. *Hæc Aristoteles, qui, vt ex dictis patet, causam diuersorum affectuum à vino in eodem homine emanantium, in certam vini mensuram referre videtur: sed quia sæpe accidit, vt ex eadem vini mensura diuersi homines diuersimode afficiantur, affirmare quis posset, non à sola determinata vini mensura diuersos oriri effectus, nam, quod ex eadem vini quantitate magis, vel minus homines eodem affectu detineantur, mirum non est,*

siqui-

ſiquidem aliqui potentiorem, aliqui imbecilliorem naturalem calorem habere poſſunt, ac pariter caput validius, vel imbecillius, ſed quod quiſpiam ex eadem vini menſura mitis fiat, alter ferox, certe aliunde hoc prouenire credendum eſt. Dicerem itaque id in peculiarem cuiuslibet hominis temperaturam referendum eſſe, vinum enim cum ſui natura calidum ſit, dum à naturali hominis calore in ventriculo alteratur, non ſolum ex ipſo vapores ad cerebrum eleuantur, ſed etiam quicquid in corpore ex humoribus cōcretum, & craſſum reperitur, id fundit, & in maiorem vaporum copiam conuertit: itaque dicendum videtur, ideo ex eadem vini quantitate bilioſum hominem furore corripi, flegmaticum lachrimabundum effici, ſanguineum lætari, ac melancholicum triſtari, quia vinum prædominantes in corpore humores præcipuè fundit, ac tanquam vehiculum ad cerebum ducit, Vnde varij animi affectus naſcuntur, non ſecus, ac in morboſis deſipientijs contingere ſolet, quarum aliquæ cum riſu fiunt, aliquæ cum merore, ac timore, prout diuerſi humores ad cerebrum feruntur, ac in ipſo quantitate, qualitate, ac vbi peccant, & hoc etiam innuiſſe videtur Ariſtoteles 3. ſect. problematum, problemate 16. dum quærit, cur vinum alios tardos, alios ſuperbos reddit, atque inſanibundos. Reſpondet enim id propterea fieri, quia, vt Chæremon ait, vinum ſeſe pro moribus vtentium applicat, animi autem mores corporis temperaturam ſequuntur, vt vult Gal. Cum itaq; vinum varios pariat in homine affectus, mirum eſſe non debet, ſi variæ etiam actiones ſequuntur, ita vt aliqui à Baccho victi ſeipſos necent, vt quandoq; contigit, aliqui alios læſerint, vt de Alexandro magno apud Curtium Arrianum, alioſq; legitur, qui inter epulas, & pocula furore percitus Clitū cariſſimum ſibi, ac familiariſ-

ſimum

ſimum interemerit, quod non feciſſet ſi Androcydis viri ſapientia clari præcepto obtemperaſſet, qui, vt Plinius refert, lib.14. cap.5. Alexandri intemperantiam cohibens, hæc ad ipſum ſcripſit. Vinum potaturus Rex, memento te bibere ſanguinem terræ: ſicut cicuta homini venenum eſt, ſic cicutę vinum. *Quod præceptum ſi animaduertiſſet, profectò ſuum familiarem, alioſq; amicos in temulentia non intermiſſet, ita vt iure merito Athenæus lib.2. ex Poeta Cyreneo, de vino hæc ſcripſerit.*

Eſt eadem vini, ac ignis vis: corpora noſtra
Cum ſubijt, fluctus commouet, in Libyco
Vt pelago notus, aut boreas: occulta reuelat
Ex imo: mentes concutit, atque hominum.

Earumq; concuſſio quanta ſit, pulcherrima hiſtoria, quam idem Athenæus hoc eodem lib. & pagina ex Timæo Tauromenite refert, clarè demonſtrat, qui domum quandam Agrigenti hac de cauſa vocatam fuiſſe Triremem narrat. Iuuenes quidam in ea temulenti vſque adeo dementati ſunt, ebrietate, ac vino aſtuantes, vt in triremi nauigare ſe crederent, horrenda tempeſtate in mari iactata, tantumq; è mentis poteſtate deciderunt, vt domus vaſa omnia, & ſtragula foras eijcerent, velut in mare, nauis, quam tempeſtas affligebat, vt illis videbatur, exouerandæ cauſa, iuſſuque Præfecti. congregatis ad id ſpectaculum multis, vt proiectam ſupellectilem deriperent, nec illorum quidem concurſu tanta iuuenum ceſſauit inſania: Poſtridie vero profectis ad illas ædes Prætoribus, inclinati iuuenes adhuc nauſeabundi, ijs, qui interrogabant, magiſtratibus reſponderũt, tempeſtate ſe vexatos, nauem vt alleuarent, ſarcinas ſuperuacuas in mare abieciſſe, mirantibuſq; Prætoribus, tam attonitum illorum ſtuporem, vnus ex ijs, qui maior natu cæ-

teris

teris videbatur. Ego, inquit, Viri Tritones, metu consternatus, sub infimo Nauis tabulato, quam maximè licuit abditus, iacui. Perenni mentis alienationi, Iudices cum ignouissent, obiurgatos, ac monitos, ne postea se vino ingurgitarent, dimiserunt, illi vero se gratias habituros professi, dixere, si portum attingerent tempestatis periculo defuncti, ipsis, qui seruassent, & tam opportunè, auspicatoq; sibi apparuissent, in publico cũ marinis Dijs statuam dicaturos. Inde scilicet domum illam Triremẽ vocauere. Atque hæc, & alia multa animi accidentia ab immodico vino sequuntur. Sed quid de corpore ipso dicendum erit, cui vinum non solum multas affert affectiones, cum calidas, tum etiam frigidas, sed repentinam quandoq; mortem? Calidæ ab ipso fiunt affectiones, nempe sinanchæ, cynanchæ distillationes, quos catarros vocant, hemorroides, sanguinis profluuia, articulares morbi, ophtalmiæ, peripreumoniæ, laterum compunctiones, febres ardentes, reliqui denique omnes morbi, quorum genus est phlegmone, & hæc omnia accidunt, dum naturalis calor ab immodico vini vsu non superatur, sed viscera omnia tẽporis processu calida admodum intemperie corripiuntur, quinimo cæcitas etiam ex immoderato vini vsu oritur, vt Dionisio Iuniori Siciliæ Tyranno accidisse legitur apud Athenæum lib. 10. qui ob temulentiam corruptis oculis excecatus est; frequentes etiam podagræ eandem ob causam hac nostra tempestate maximè vigent, vt Galeni etiam tempore accidisse legitur 6. Aphoris. com. 28. vbi sic ait. Aetate Hipp. pauci podagra laborabãt, propter vitæ moderantiam, nostris vero temporibus vsque adeo auctis edulijs, vt nihil eis addi posse videatur, infinita est podagrarũ multitudo: cum nonnulli sint, qui nec exerceantur quidem, sed cruditatibus, atque ebrietatibus incumbant, & ante cibum bi-

bant vina potentia, ac venereis vtantur immoderatè: nōnulli vero, etsi non his omnibus, in vno saltem, ac duobus delinquunt. Atqui peccatum magnum cum fuerit: sæpè in vno eorum, quæ diximus, deliquisse sat est. *Ex his Gal. verbis, vt vnusquisq; se ipsum iudicet relinquo. Si vero accidat, vt ex vini quantitate naturalis calor succumbat, contrarium euenit, frigidæ scilicet corporis affectiones, nempè tremor, grauitas, pallor, torpor neruorum, in extremis partibus distentio, pigritia ad coitum, genitura conceptioni inutilis, velox caluitium, præmatura canities, & quod peius est, aqua intercus, epilepsia, paralisia, apoplexia, alui deiectio, & conuulsio. Quomodo autem fieri possit, vt à vino calidum cum sit, frigidi sequantur affectus, licet ex superius dictis constet, adhuc tamen melius cum Aristotele notum faciam. Aristotiles tertia problematum sectione, problemate primo hanc affert rationem,* quia multum humoris, cum refrigeratum est, multum frigoris concipit, ita vt calorem superet naruralem. Fit enim simile intrinsecus carni: vt si vestis nimio madefacta humore, rigorem proinde acris frigoris admittat. *Problemate quinto eiusdem sectionis quærens, cur ebriosi tremant, et eo magis, quo liberalius merum hauserint, cum vinum calidum sit, & tremor à frigiditate proueniat, duas huius rei rationes affert. Prima est, quia vinum calefica sua qualitate amplificata, plus, quam vires corporis patiantur, calorem corporis proprium, se permiscens, extinguit: Quo extincto, refrigeratoque corpore, accidit, vt tremores oriantur. Secunda ratio, quia vinum calidum, corporis caliditati naturali coniunctum, efficacius porrò, quæ calor proprius sibi subdita pro alimento obtinet, consumit. Hæc Aristoteles. Ex quibus patet frigidos morbos à nimio vino prouenire, quatenus & calorem natu-*

naturalem refrangit, & humidum radicale exiccat. Praeterea repentinam etiam mortem ab immodico vini vsu prouenire posse Auctor est Hipp. 5. Aphor. Aphor. 5. dicens, si ebrius quispiam de repente obmutuerit: conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet. *Gal. in com. huius aphorismi dicit*, repletis neruis talis conuulsio superuenit, solet autem facilè eos replere vinum, vt quod calidam habeat temperaturam: talis siquidem natura promptè omnia subintrat, pręsertim cum non admodum crassam substantiam habuerit. *Ita vt nisi ebrius febre corripiatur, quæ repletionem à vino factam resoluat, vel hora, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet, conuulsus moriatur; hora autem, qua soluuntur crapulæ ex Gal. est postridie, vel sequenti nocte, vel tertia die pro multitudine, et ui epoti vini, vel eius, qui potauit natura. Præterea Athenæus in sua historia de temulentis lib. 10. asserit Alexandrum Magnum ex nimio vini potu in infirmitatem incidisse, ac tandem ex ea decessisse. Hoc autem ita factum fuisse affirmat, cum ludibundus inuitasset Protheam quendam in bibendi certamine inclitum, bibissetq; Alexander Bicongium; Protheas Regem multis laudibus prosecutus, & ipse quoque integrum exhausisset, moxque eum eodem poculo prouocasset, Alexander generosè conatus eundem calicem ducere, cum partem iam traxisset, resupinata in lecti puluinari ceruice, poculum e manibus emisit; ex quo postea certamine in malam valetudinem incidit, donec interijt, & non mirum, quia alioquin Alexander grandiori poculo vsus fuit, adeo vt quemadmodũ apud eundẽ Athen. legitur lib. 10. Callisthenes uir sapientia, & eloquentia clarus eodem Alexandro conuiuante, cum meri poculum, quod ad eum peruenerat, expelleret, rogante*

quodam, cur non biberit, respondeterit, nolle se dum Alexandri poculum ebiberet, Aesculapio indigere. Gal. autem 2. de locis affectis cap. vltimo refert, puerum siti cruciatum, cum non esset ei aquæ copia, vinum antiquum liberaliter potasse, atq; ex reliquo tempore vigilem omnino permansisse, postea febre correptum vna cum vigilijs oborto delirio peryße. His itaque sic se habentibus, quis erit tā impudens, vt ab immodico vini vsu non abstineat, et eo magis, quia raro euenit, vt à Baccho venus absit, quod si accidat, vt plurimum contingere solet, breui temporis spatio, homo, vel vitam cum morte commutabit, vel saltem infelicem vitam, & ęrumnis plenam ducet, et propterea Virgilius in epigrammate canebat.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
  Vno namq; modo vina, Venusq; nocent.
Vt venus eneruat vires: sic copia vini,
  Et tentat gressus, debilitatq; pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri:
  Arcanum demens detegit ebrietas.

Nec sit, qui dicat propter ventriculi imbecillitatem meraciori potu vtendum esse, vel saltem minus diluto, vt plerique hac de causa faciunt, quia tantum abest, vt meracū vinum, vel minus dilutum, coctionem in imbecilliori ventriculo adiuuet, vt potius difficiliorem reddat, tum quia vinū meracum difficilius à debiliori calore ventriculi actuatur, tum etiam quia cibum in ipso ventriculo indurat, vt experientia notum est, si quis enim elixare velit, vel pisces, vel leporinas, suillasq; carnes in vino, perspicuum est duriores effici, quam si in aqua elixarentur, pariter etiam constat recentes ficus in vino durescere, in aqua autem liquari, vnde iure meritò Athenæus lib. 2. affirmat aquam coquendis cibis vino vtiliorem esse. Aristotiles vero sect. 12. problematum

proble-

problemate 13. sic loquitur, vinum dilutum facilius affici potest, quam merum: quod autem affici facilius potest, id recipi à quouis, & recipere quoduis facilius potest. *Præterea exploratum est, ventriculi imbecillitate, vt plurimum eos detineri, qui natura calidiores, & sicciores sunt, non alia certè ratione, nisi quia immodicus viscerum calor, innatum ventriculi calorem superat, ac refrangit, ac natiuam ipsius humiditatem exiccat, & hinc fit, vt diminutè admodum concoquat, itaq; si meracum vinum addatur, quod sui natura calefaciendi, ac siccandi vim habet, dubitandum non est, quin imbecillis ventriculus ex immodico viscerum calore imbeccillior adhuc fiat, quatenus imbecillitatis ipsius causa à meraco vino augetur; hoc autem experientia in me ipso pluries comprobata testari possum, cum enim ex studijs quibus Bononiæ operam nauabam in 16. ætatis meæ anno, graciliorem habitum contraxissem, & vsque ad 25. annum huiusmodi gracilitas, ac corporis adustio perdurasset, ventriculum adeo debilem habebam, vt diminutè admodum cibum concoqueret, & semper maxima cruditatum, ac flatuum copia refertus esset, à qua tristis admodum sensatio in ore ventriculi oriebatur, quare mihi persuaseram, nullo alio conuenientiori remedio ventriculum reficere posse, quam potentioris vini vsu, à quo comestionis tempore aliquod leuamen recipere mihi videbar, temporis autem processu in dies magis ventriculus afficiebatur, & corpus magis exiccabatur, quod cum ex longiori medicæ artis experientia cognouissem ideo fieri, quia imbecillitatis ventriculi causa, nempe immodica viscerum, ac totius corporis caliditas à potentiori vino non solum fouebatur, sed incrementum recipiebat, coactus fui sententiam mutare, & oligophoro, ac tenui vino, vel vinoso satis diluto vti, quæ mutatio licet à principio*

aliquam noxam afferre videretur, temporis tamen processu ventriculus in dies fortior redditus est, quod equidem tenui, vel satis diluto vino acceptum retuli, quatenus ab ipso viscerum, ac totius corporis immodicus calor paulatim remissus est, à quo prius ventriculi naturalis calor imbecillis effectus fuerat, coctio enim non ab immodico, sed à temperato calore fit. Patet itaque ex superius dictis, quanta mala ab immodico vino oriantur, & ideo iure merito Plato in extremis de potione sermonibus, & Aristoteles lib. 1. *œconomicorum cap.* 5. *Carthaginensium legem de abstinentia à vino valde probat; Plato enim hæc dicit:* Verum etiam potius Cretensium, Lacedæmoniorumq; vsui, Carthaginensium legem anteposuerim, vt nullus videlicet in exercitu hanc potionem gustet, sed toto illo tempore, aquæ potione vtatur, & in Ciuitate neque serui, neque Ancillæ vnquam, neque Principes eo anno, quo in Imperio sunt, vinum gustent. Item neque Gubernatores, neque Iudices, dum suo funguntur munere, vini quicquam assumant, nec quisquam de re aliqua insigni consilium initurus, neque interdiu quisquam omnino, nisi aut exercendi corporis, aut tollendi morbi causa. Item neque noctu quisquam, aut vir, aut mulier, cum filios creaturi sunt. Alia quoque multa quis enumerauerit, in quibus recta mente, ac lege bene institutus à vino abstinere debet. *Et hæc dicit Plato de corporibus non ægrotis, sed rectissimè valentibus, in quibus epotum vinum tãquam Tyrannus quidam animæ imperat, ita vt quæ prius intelligebat rectè amplius non intelligat, quæ prius faciebat, non rectè faciat: & iccirco ab ipso tanquam ab hoste cauendum Plato ait. Nam si semel corpus immodicè ingreditur, Gubernatorem impedit quo minus, vt decet, Nauis gubernacula dirigat. Milites ne in*

acie

acie modestè se gerant, cõturbat. Iudices cum iustos esse oportet, aberrare, & omnes Principes vitiosè dominari, nihilq; sani imperare cogit; vinum enim calidis vaporibus totum corpus, & maximè caput replens, appetitrici animæ parti atq; iracundæ concitatioris motus, intellectrici autem magis præcipitis consilij causa est; ita vt sapientia etiam vino obumbretur. Quare à vino abstinentiam non possum, nisi plurimum commendare, præsertim vero pueris, & mulieribus, saltem donec viro copulentur. hanc à vino continintiam Hispanos omnes in vlteriori Hispania, tum viros, tum mulieres excolere audio: in reliquis autem Hispaniæ locis, homines vinum satis dilutum, mulieres palam vinum nunquam assumere intellexi, neque hoc mirum, cum ab antiquo etiam tempore Hispani abstemij fuerint. Athenæus enim lib. 2. ex Philarco hæc verba refert. Hispanos quamuis hominum ditissimos, aquam bibere, solos cibum capere ob parsimoniã: indui tamen sumptuosissima veste, *quod satis laudo, & eo magis, quia naturaliter Hispani calido temperamento, vt plurimum præditi esse solent, & ex Hipp. 6. Epid. calido naturaliter, frigidæ potio conuenit, & quiescere. In Gallia autem hanc continentiam à mulieribus donec Virgines sunt, exerceri audio, quemadmodum & Neapoli, Romæ etiam huiusmodi consuetudo anteactis annis apud pueros, & mulieres vigebat, exemplo fortasse Antiquorum Romanorum, quo tempore ingenuis mulieribus vinum ita erat interdictum, vt quemadmodum Plinius refert lib. 14. cap. 13. inter exempla legatur, Egnatij Mecennij vxorem, quod vinum bibisset e dolio, interfectã fuisse à marito, eumq; cædis à Romulo absolutum. & Cato, vt ibidem Plinius testatur, asserat propterea tunc temporis ex vsu fuisse, vt propinqui fœminis osculum darent, vt explorarent, an*

temetum olerent. Plutarchus etiam in quæstionibus Romanis osculandi morem eandem ob causam institutum fuisse affirmat; Idem, Athenæus ex Polybio refert lib. 10. licèt asserat vigente siti, vinum passum, quod ex vua passa fit, apud eas in vsu fuisse, addens, & si quæ mulier vinum bibisset, id celare non potuisset, Primum quidem quod Romani cellam vinariam mulieri non committebant, deinde quod eam osculorentur, tum sui, tum mariti, cognati, ad consobrinos vsque, & id quotidie, statim vbi illam aspexissent, quare à vino cauebant, cum nescirent, quibus obuiæ futuræ essent, & qui eas allocuturi. *Et adeo claues cellæ vinariæ Romanis mulieribus prohibitæ erant, vt Fabius Pictor in annalibus suis scripserit, vt Plinius refert loco supra citato*, Matronam quod loculos, in quibus erant claues vinariæ cellæ, resignasset, à suis inedia mori coactam. *Apud Massilienses etiam, & Milesios lege cautum erat, vt abstemiæ essent mulieres, quemadmodum Athenæus ex Theophrasto refert lib. supracitato, & non alia certè ratione priscis illis temporibus vini vsum mulieribus interdictum fuisse existimo, nisi quia vinolenta, et commessatrix mulier, si nupta fuisset, adultera, si soluta, meretrix reputabatur, idque propterea quod vt Tiraquellus refert tractatu de legibus connubialibus, & iure maritali 9. part. in 9. leg. connub. glos. p. nu. 206. quoad vini vsum apud mulieres, lex ab ipso Romulo posita fuerat in hæc verba:* si vinum biberit domi, vti adulteram puniunto. *Quibus verbis (inquit Tiraquellus) ostenditur, mulierem vinosam, & adulteram, eiusdem criminis reas esse, veluti alterum ex altero prodeat, quam legem rationi valde consonam, & iustissimam fuisse D. Chrysostomus testatur, qui enarrans illud Matthæi 1. cap. Cum esset desponsata Mater eius Maria, &c.* omnis,

inquit,

inquit, mulier, quæ vinolenta, & commessatrix est, eadem quoque meretrix est. *Stante itaque supranarrata lege ob facilem mulierum intemperantiam, ac incontinentiam in vini vsu, ne adulterarum, vel meretricum turpe nomen sortirentur, satius existimatum fuit apud Romanos, aliosque latinos, vinum penitus mulieribus interdicere, nisi eo valetudinis, vel sacrorum causa certis diebus vterentur. Et quidem valetudinis causa vinum quandoq; adhiberi solitum, Blondus testari videtur, dum lib. triumphantis Romæ 5. scribit se instrumentum dotale vidisse, ante annos plus minus 300. confectum, quo patri puellæ sponsus promittebat, quoties illa peperisset, vinum illi octo primis diebus, quantum deceret, bibendum dare: & pariter de consilio medici, quamdiu ægrotasset. Insuper omni festo solemni die, potu illam vnico oblectaret. Sacrorum etiam causa vinum in vsu fuisse apud Romanas mulieres testatur Seruius, qui enarrans illud Virgilij lib. 1. Aeneid.*

Primaq; libato summo tenus attigit ore.

Et verecundiam (inquit) Reginæ, & morem Romanorum tangit, nempè quod apud Romanos fæminæ sacrorum causa certis diebus vino vtebantur, quem morem valde laudabilem fuisse, existimandum est, quia eius ratione peculiaris mulierum virtus, quæ honestas est, seruabatur, ac turpissima in ipsis ebrietas euitabatur, cuius turpitudo quanta sit D. Chrisostomus in Acta Apostolorum homil. 28. scitissime annotauit, dum inquit, nihil fœdius muliere ebria: obscuratur ei visus, turbatur serenitas, & puritas oculorum, quasi nube quadam radijs solaribus succedēte. Opus illiberale & seruile; & omni ignobilitate plenum. Quam insuauis est mulier vinum spirans, quod olet, & corruptum est. *& paulo post:* Da formosam puellam, turbulentam,

loqua-

loquacem, conuiciatricem, ebriam, & sumptuosam, nonne quauis re fœda, ac turpi deformior est? *& Hieronymus in regula sanctimonialium ad Eustochium cap. 36. asserit, sacrilegium esse ebrietatem in fœmina. Præterea animaduertendum est, fœminis vinolentiæ, & voracitati deditis facilè euenire, vt earum capilli defluant, ac podagra laborent, licèt enim Hipp. 6. Aphor. Aphor. 29. scribat,* mulieres nũquam podagra laborare, nisi menstrua deficiant, *quod Galenus eo loci, ac in præcedentis Aphorismi com. ea ratione fieri existimauit, quia nisi humores admodum superabundent (quod in mulieribus ratione euacuationis euenire non potest) ex sola partium imbecillitate podagra detineri non possunt, tamen fœminæ ob ingluuiem, voracitatem, bibacitatem, & victus intemperantiam, facilè etiam podagra, ac capillorum defluxu corripi possunt, vt hac nostra tempestate ob superius allatas causas, nonnullis mulieribus contigisse videtur, quod vt refert Seneca ad Lucilium epist. 95. suo etiam tempore accidit, inquit enim.* Maximus ille medicorum, & huiusmodi scientiæ conditor, fœminis, nec capillum defluere dicit, nec pedes laborare. Atqui etiam capillis destituuntur, & pedibus ægræ sunt. Non mutata fœminarum natura, sed victa est. *& paulo infra:* non minus potant, & oleo, & mero viros prouocant, atque inuitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remittunt. *& paucis interiectis:* quid ergo mirandum est, maximum medicorum, ac naturæ peritissimum in mendacio prehendi? Cum tot fœminæ podagricę, caluæque sint, quæ beneficium sexus suis vitijs perdiderunt: *quam sententiam approbat etiam Petrus Aponensis et Philosophus & medicus celeberrimus in Conciliatore differentia nona, et iterum in commentarijs problematum Aristotelis lib. 10. cap. 37.*

cap.37.Concludendum itaque abſtinentiam à vino laudabilem valde eſſe, tum in muliere, cum etiam in homine, vinoque potius vtendum medici iuſſu,ac recuperandæ valetudinis gratia, quam aliam ob cauſam,quemadmodum factum fuiſſe apud Locros Epizephyrios teſtatur Athenæus lib. 10. deipnos, idque propterea quod à Zaleuco Aſiæ Rege ſancitum fuerat, vt ſi quis iniuſſu medici, & non recuperandæ valetudinis cauſa, merum bibiſſet, capite plecteretur. Hic meri vſus à D. Paulo etiam indicari videtur, dum ad Thimothæum ſcribit, inquiens, Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates, *ex quibus verbis clarè patet Thimotheum in ſanitatis ſtatu aqua vti conſueuiſſe, eique propter aduerſam dumtaxat valetudinem vinum commendari, idque modicum ad ventriculi ſcilicet cruditatem corrigendã,aliaſq; infirmitates debellaudas, ita vt D.Paulus vino, vt medicamento vtendum ſenſerit,aqua autem ad quotidianum potum; idque eo magis faciendum exiſtimo,quia ex Athenæo lib.1. deipnos habemus,*eos, qui ſolum aquam bibunt, inueniendis rebus ſagaces, ac ingenioſos eſſe, vinum autem noſtram obumbrare prudentiam, *& propterea S.Ambroſius de Elia,& ieiunio cap.9.inquit;* potentes viuum prohibentur bibere, ne cum biberint, obliuiſcantur ſapientiæ.*Vellem itaq; ut antiquam,ac laudabilem Romanorum conſuetudinem,quo ad abſtinentiam à uino, hac etiam noſtrã tempeſtate & mulieres,& pueri ſequerentur, omneſq; homines parcius uino uterentur, maximo enim iuuamine eſſet animarum ſaluti, propterea quod ad multa uitia procliues non redderentur, præſertim uero ad luxuriam, quæ non alia ratione iudicio meo temporibus noſtris plurimum uiget, niſi ob immodicum uini uſum, quod*

apud

apud Athenæum lib. 10. Veneris lac nuncupatur his carminibus.

Suaue potu vinum est, nempè veneris lac, quod multum haurientes

Nonnulli, flagitiosa, & illicita veneris cupiditate inflammantur.

Et hinc est, quod apud eũdem Athenęum lib. 1. *legitur uetus quidem uinum apud meretrices in honore eſſe, uetulos autẽ uiros repudiari. Summo itaq; iure D. Paulus ad Ephesios cap. 5.* nolite, *inquit,* inebriari vino, in quo est luxuria. *Salomon Prouerb. 20.* Luxuriosa res est vinum. *Apul. lib. 2. Asini auri, tradit uinum liberum esse hortatorem, & armigerum Veneris. Horatius lib. 3. Carminum Ode 18. Craterem uini sodalem Veneris appellat, & ut summatim dicam secundum omnes auctores, uinum ipsamet luxuria est. Corpori etiam esset remedio ob causas superius allatas. Cũ itaque uinum omnium malorum Metropolis sit, & ferè inuitos nos cogat, vt non virtutes, sed vitia sequamur, quorum generantes magis quã geniti Auctores existunt, et educãtes magis quã qui educãtur, ut Plato in Timeo affirmat, ex cuius sententia nullus spõtè malus est, sed ex improbo corporis habitu, & ineruditionibus malus efficitur, propterea quisq; pro uiribus niti debet (ut eiusdem Platonis uerbis utar) & educatione, & studijs, & disciplinis uitium quidem fugere, contra autem, uirtutem capessere, quibus uerbis, (inquit Gal. lib. quod animi mores corporis temperaturam sequuntur) tam puerorum, quam senum educationem Plato complexus est, ita ut nos monere uoluerit studia tam animi, quã corporis, in qualibet ætate præsertim quo ad uini usum ita dirigẽda eſſe, ut uel omnino à uino abstineamus, ut Turcharum etiam leges imperant, uel eo sobrie admodum, utamur,*

mur, & pro lege sit huiusmodi Distichon.

Vina nocent igitur, si non moderata bibantur,
E, contra, semper hæc moderata iuuant.

Præterea præ oculis habendum est id, quod Athenæus monet ex Parmeno Bysantio lib. 5.

Qui, vt equus aquam, homo vinum haurit,
Scythice loquitur, & ne cappa quidem agnoscit:
Mutus iacet, in dolioq; vrinatur, & natat
Somnolentus, tanquam papauer medicamentum biberit.

Et lib. 10. ex Aristone Philos. lib. Amatoriorum refert, Polemonē Academicum hortari ad cœnam ituros compotationem curarent, quæ esset non tantum in præsens iucunda, sed in crastinum etiam, & vt summatim dicam, dum vinum est in scypho, in hominis est potestate, dum in corpore, homo in illius potestate est, vinumq; imperat, non ratio, ita vt inebriari, nihil aliud sit, quam voluntariè insanire, & hinc est, quod Seneca epist. lib. 12. epist. 84. inquit: Ebrietas voluntaria insania est, *quis igitur tam impudens erit, ut ex rationali homine irrationalis quodammodo bellua effici velit?*

An vinum nutriat. Cap. XVII.



INUM nutrire, adeo existimauit Gal. lib. 3. de alimentorum facultatibus cap. 40. vt inter alimenta connumerauerit; habet enim eo loci. Vinum quidem ex eorum esse numero, quæ nostrum corpus alunt, omnes fatentur: modo si quicquid alit, cibus est, vinum etiam in genere ciborum est ponen-

ponendum. Quidam tamen medici negant, id cibum esse appellandum, quod potus in sermone quotidiano cibo sit oppositus, qui potio etiam appellatur, vt cibus esca, & edulium. ob eamque causam vinum nolunt vocare alimentum, quamquam alere ipsum non diffiteantur. *& postea quam affirmauit communi omnium sententia vinum nutrire, explicat in eodem cap. quæ vina magis nutriant, dicens;* Vinorum omnium rubra simul, & crassa sanguini generando sunt accommodatissima, vt quæ minima egeant mutatione, vt sanguis fiant. post ipsa sunt nigra, crassaq; & dulcia. Tum quæ colore quidem rubra sunt, & nigra, consistentia autem crassa vna cum adstringendi qualitate. His autem minus sua natura alunt, quæ alba sunt, simul & crassa, & acerba. Omnium autẽ minimum nutriũt, quæ colore quidem sunt alba: consistentia autem tenuia, & aquis hydromeliti faciendo appositis quodammodo similia. Quod vero vina crassa magis, quam tenuia alant, declarat ipsorum natura: præterea experientia id ipsum comprobat. *Post vinorum magis, vel minus nutrientium asseertionem in supracitati capitis calce exponit, quæ vina citius in ventriculo conficiantur, & distribuantur, & quæ tardius, dicens*, Dulcia vero conficiuntur in ventriculo, & distribuuntur facilius, quam austera, vt quæ sunt calidiora. Quæ autem admodum sunt crassa, tardius quidem perficiuntur, ac distribuuntur, si tamen in ventriculũ adeo robustum incidant, vt confici rectè ab eo possint, alimentum copiosius corpori exhibebunt. *deinde addit:* Constat præterea, quod, quemadmodum hæc corpori alendo tenuioribus sunt præstantiora, ita etiam ad vrinam ciẽdam sunt deteriora. *Lib. de attenuante victus ratione c.12. dicit,* Vina, quæ admodum dulcia sunt, omnia sanguinem

crassum

crassum gignunt, nigra namque hæc sunt, & consistentia crassa, & ijs adhuc magis, σίραιον, quod vocant, ideft sapa: est autem id mustum plurimum coctum. *Deinde subiungit*, vina, quæ clara sunt, & perlucida, coloreq; pallida, ac flaua, & forte nimium dulcia inuenias. Præterea nullum album dulce comperies, quemadmodum nec flauũ quoduis admodum dulce est. Cœterum eiusmodi omnia sanguinem consistentia gignunt mediocrem, quæ vero crassa simul sunt, & nigra, & dulcia, crasso sanguine venas reficiunt, *paulo post addit*: sunt autem vina apud omnes gentes plurima, celebrantur tamen in primis Ariusium, Lesbium, Falernum, & Temolites: Quibus semper intentus media deliges, quod omnia sanguinem bonum, & cõsistentia mediocrem generant; *His positis, in fine capitis addit*, solum autem vinum ponticum in conuiuijs, aut nuptijs, aut sacrificijs, aut alijs celebritatibus adhibebant, quia multum implet, *& refert huic vino simile aliud reperiri iuxta Vrbem quandam Pergamo vicinam, quod corpora bibentium ita euidenter nutrit, vt incolæ iuuenes, qui in Palestra bonæ habitudinis comparandæ gratia sese exercent, vtantur huiusmodi vino in potu, non aliter quam suilla in cibo. Ex dictis manifestè colligitur, aliquod vini genus inter potabilia adeo nutrire posse, vt inter comestibilia, suilla caro nutrit. De qua idem Gal.lib.3.de aliment.facultatib.cap.2.ita scripsit*, Omnium itaque ciborum suum caro potentissime nutrit. Cuius rei Athletæ certissimum tibi præbeant indicium. Si enim paribus exercitationibus parem molem alterius cibi diem vnam comederint, postero die statim sentient se redditos imbecilliores. Quod si pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modo, verum etiam alimẽti penu-

ria macilentiores palam conspiciuntur. Idem etiam de eo, quod dicimus, potes in Pueris, qui in Palæstra se se exercent experiri: & in alijs, qui quamlibet actionem fortem, ac vehementem (cuiusmodi est fodientiũ) obeũt. *Et quidem vinũ nutrire, patet ex eodẽ Gal. lib. de bonitate, & vitio succorum cap. 11. in principio, vbi hæc habet:* Ergo quæcunq; in his aquosa sunt, ac substantia tenui, vrinãq; cient, corpori alimentum suggerunt paucissimum: crassa vero, vt Thereum, & Scybelites, valde nutriunt: distant tamen inuicem maioris, minorisq; ratione, pro crassitudinis modo. *Et vt in summa dicam, sexcentis in locis Gal. affirmat, vinum nurire, sed magis, vel minus, prout vina, vel crassiora, vel tenuiora sunt; præsertim vero hoc probare videtur com. 2. in Aphor. Hipp. dum interpretatur Aphoris. 18. qui hæc continet.* Eorum, quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones: *In Com. huius Aphor. dicit Gal. Celerrime igitur, & maximè vniuersim vinum alit, idque euincit his subsequentibus verbis:* Indicium autem tibi sit id, quod assumptum est iam nutrire, in pulsibus quidem vehementia, ac magnitudo: in motibus autem voluntarijs robur nutritis adiectum. Ipsum vero præcipuè oportet explorare in illis, qui sunt dissoluti, vel propter euacuationem aliquam sensibilem, vel propter laborem superfluum, vel propter inediam. in his siquidem omnibus casibus, quantum vinum nutriat, quilibet in semetipso pluries experientia comprobauerit; *Et huius rei causam affert lib. 3. de temperamentis, cap. 2. dicens;* Vinum ob multam, quam habet cum humano corpore similitudinem, celerrimè omnium, tum nutrire, tum corroborare. *Et licet vina omnia hoc præstare possint magis, vel minus secundum eorum tenuiorem, vel crassiorem*

substan-

substantiam, vinum tamen dulce in ijs, qui refectione indigent, plurimum commendat lib. de bonitate, & vitio succorum cap. 11. Aristoteles idem cum Galeno sensisse videtur quoad vini nutritionem sect. 27. Problematum, probl. 5. et 6. problemate enim quinto inter alias causas, quas adducit, cur minus sitim quam famem tolerare possimus, dicit id accidere, quia sitis rerum duarum libido est, potionis inquã, & cibi, fames vnius cibi tantummodo est, *problemate 6. idem affirmat, dicens,* Qui sitit res duas desiderat, cibum, atque refrigerationem: Isthæc enim ambo potio exhibet, at qui esurit, alterius tantum appetens est. *ex his patet Aristotelem non simpliciter tantum sensisse vinum nutrire, sed vt cibum. Hoc idem Hipp. voluisse videtur 2. sect. Aph. Aph. 21. vbi ait* Famem thorexis soluit, *idest vini potio soluit, vt Galenus in Com. huius Aphorismi illud verbum,* thorexis, *interpretatur, quid igitur clarius dici potest ad demonstrandum vinum nutrire? nec obstare debet, quod Gal. in Com. huius Aphoris. dicat. Hippocratem loqui de vehementi, & indesinenti ciborum appetentia, quam quidem medici caninam appetentiam vocant, non autem de naturali appetentia, quæ, vel ex longa inedia, vel alui profluuio, vel fluxu sanguinis, vel aliqua alia facta est euacuatione, quia verè, & naturalem appetentiam, et morbosam, vinum soluere potest, naturalem quidem, vt cibus est, morbosam vero, vt medicamentum; & equidem satius fuisset, si Galenus hoc affirmasset, secus enim iure quis contendere posset, eum sibi ipsi non constare, cum supracitatis locis toties affirmauerit vinum nutrire, præsertim vero com. 2. super Aphor. 18. dixerit,* quemlibet in se ipso pluries experientia comprobare potuisse, quantum vinum nutriat, cum, vel propter euacuationem aliquam sensibilem, vel propter

laborem superfluum, vel propter inediam dissolutus fuerit, *Quomodo igitur in dicti Aphorismi interpretatione nobis insinuare audet appetentiam naturalem, quæ ex indigentia calidi, & sicci fit, vino solui non posse? sed caninam solummodo appetentiam, cum manifestum sit, antiquo tempore vina ob eorum vetustatem, & crassitiem tanti nutrimenti fuisse, vt naturalem etiam famem facilè soluerent. Concludendum itaque Hipp. per illa verba* famem thorexis soluit, *caninam famem, ac naturalem complexum fuisse. Porrò vinum famem sedare, Aristoteles etiam sensit, cum dixerit, vt superius retulimus, propterea nos minus sitim tolerare, quam famem, quia sitiens cibum, & refrigerationem desiderat, famelicus autem cibi tantum appetens est, certum est itaque id, quod cibum, & refrigerationem in potu præbere potest, nihil aliud esse, quam ipsum vinum, de quo Aristotelem loqui verisimiliter credendum est, vinum enim valde vinosum, licet potentia calidum, & siccum sit, actu tamen refrigerat, vel saltem humectat, & propterea hac ratione dici potest vinum, & famem, & sitim explere.*

De vera, & mendosa siti in bene valentibus. Cap. XVIII.



VONIAM sæpè accidit, vt homines ad potum trahantur absq; vlla potus indigentia, ex quo fit, vt magnum inde detrimentum capiat, quatenus scilicet intempestiuus potus ciborum coctionem subuertere facilè potest, propterea operæpretium esse duxi, de vera ac mendosa siti agere, vt quilibet verũ potandi tẽpus

cognoscere facilè valeat. Sciendum est itaque veram, & naturalem sitim esse appetitum moderatum materiæ potulentæ ex tristi sensatione, quomodo autem fiat huiusmodi moderatus appetitus, ac tristis sensatio, commodissimè nos docet Galenus 6. de locis affectis cap. 3. vbi hæc habet, Ventriculi cupiditas, qua cibum, potumq; appetit animale officium est, quo citra sensum nostrum nequaquam fungitur, *& infra*: Qua de re rationi consentaneum videtur, paulatim quidem ipsum incipere: Et dum maior fit, in primis quidem serum sanguinis trahere ex venis, vel nihil nobis sentientibus, quem cum totum attraxerit, videaturq; sanguis in venis, huiusmodi humiditate spoliatus, exsiccata tum vasa humorem trahere ex hepate, deinde hoc ex intestinis, & ventriculo: cum vero exsiccatæ fuerint venæ, quæ in ore ventriculi sunt, tunc potum desiderare hominem, vtpotè quod dispositionem ipsam sentiat: *Ex his Galeni verbis facilè patet, quomodo potulentæ materiæ naturalis appetitus oriatur, nempe ex sensu defectus humidæ substantiæ, qui sensus tunc fit, cum venæ ex ipso ventriculo veluti emulgentes, sugentesq; aliquid trahunt, ex qua attractione fit sensus suctus in ventriculo, qui nihil aliud est ex Gal. 1. de Sympth. causis cap. 7. quam ipsa sitis, ita vt ad sitim excitandam quinque simpthomata successiuè sequantur, primum euacuatio est, secundum euacuatorum appetentia naturalis, tertium ventris suctus, quartum eius sensus, quintum appetentia eius naturalis: & hinc factum est ex eod. Gal. 9. de vsu partium cap. 11. vt ventriculo, & præsertim ipsius superiori ori exactissimus sensus à natura impertitus sit, nimirum, vt statutum tempus cibum, & potum sumendi discerneret, dum enim supracitato loco Galenus loquitur de sexta coniugatione neruorum, hæc addit,* ventri-

culo sensum exactissimum cibi, & potus deficientis adesse oportebat. Quocirca horum etiam neruorum pars maxima apparet esse in ipsum distributa, & potissimum in eius primam partem, quæ circa os, quod vocant, est, deinceps autem, & in alias eius partes omnes vsque ad fundum. *Cum itaque sitis ita fiat, & post certum temporis interuallum homini implendi desiderium moderatum oriatur ob penuriam frigidæ, & humidæ substantiæ, tunc potum moderatè frigidum, naturalem scilicet homo appetit, qui nullam noxam afferre potest: statutum autem bibendi tempus, quantitas, & qualitas potus ab ipsamet natura, dum rectè homo valet, indicatur, vt ex Galeni auctoritate iam sæpius diximus. Quare nemo rectè valens in potus assumptione errare poterit, si naturam ipsam sequatur, nec ob potus suauitatem ad incontinentiam trahetur, hæc de vera & naturali siti dicta sufficiant. Iam de mendosa siti, quæ sæpè sanis hominibus, accidere solet, agendum. Mendosa itaque sitis in hominibus, qui sanitate fruuntur, est sensus arefactionis, vel incalescentiæ illorum locorum, per quæ ab ore in ventriculum humor delabitur, & præsertim faucium: Fit autem huiusmodi arescentia, siue incalescentia supradictorum locorum leniter arescente, siue incalescente ventriculi ore, quod multis ex causis contingere potest, nempe ex cibo, ex calida potione, ex vehemẽti motu, ex aere æstiuo, ex ira, ex timore, ex mœrore, ex vigilia, ac denique ex somno super calidum cibum, & potum. Cibus sitim facit, vel, vt copiosus, vel calidus, vel crassus, vel lentus, vel denique, vt siccus, & stipticus. Copiosus cibus est causa sitis, quatenus ventriculi calor ipsius causa laborat, & agitatur, quare rorida oris ventriculi humiditas efferuescit, & eo magis quia cum copiosus cibus non facilè descendat, & vicinus ori ventricu-*

triculi maneat, suo vapore humiditatem accendit; huiusmodi sitis somno sedari potest duplici de causa, tum ob naturalis caloris vnionem, cuius ratione non amplius laborat, tum etiam, quia, vt dicit Galen. com. Aph. 27. sect. 5. ratione somni descendit id, quod sitim facit. Calidus cibus sitim afferre potest, quatenus humiditatem accendit, & propterea Gal. cap. 30. lib. 1. Alim. asserebat, sesamum, & ariisimon, vt calida sitim facere, eadem ratione cibaria aromatibus condita, pisces saliti ex Auicenna, & vt vno verbo dicam, salsa, amara, & acria omnia sitim pariunt. Cibus crassus, & lentus pari ratione, qua copiosus cibus sitim afferre pōt, quatenus scilicet vētriculi calor in ipsius attenuatione, ac detersione laborat. siccus, et stipticus cibus, quatenus humiditatem in ventriculo consumit, hominem sitire facit. Calida potio, vinum scilicet vetus liberaliter haustum os ventriculi calefaciendo sitim affert, & propterea Gal. lib. de dissolutione continua cap. 1. præcipiebat, vt, qui cibum accipiunt, cum ipso sumant de vino, quod solum sedet sitim, & contenti sint quā minimo possint, & quiescant. Vehemens motus tum corporis, cū etiam linguæ, vt vult Auicen. sitim excitat, vehemens corporis motus, quatenus naturalē calorem in vniuerso corpore acuit, ex quo fit, vt etiam ventriculi os incalescat, et sitis oriatur, linguæ vehemens motus, nimiaq; locutio, quatenus fauces exiccāt, superficialem sitim faciūt; vnde Hipp. lib. 6. de morbis vulgaribus pro extinctione sitis optimum esse asserebat, os claudere, non loqui, & frigidum spirare. Ab æstiuo aere fit sitis, quia non id præstat, quod ob inspirationem requiritur, nempe aereæ, & igneæ substantiæ refrigerationem, sed potius ipsius ardorem auget, vnde sitis; Ira sitis est causa, quia ipsius ui sanguis circa cor accenditur, & corde excalefacto ori etiam ventriculi caliditas cō-

municatur, à quo deinde in cæteras partes, & præsertim in fauces deriuatur. Timor, mœror, & vigilia, si modum excedant, corpus exsiccando sitim pariunt. Denique somnus, si super calidum cibum, & potum fiat, ex Auicenna lib. 3. fen. 13. tract. 2. cap. 20. est sitis causa, quod accidit, quia calidus vapor ventriculi os petit, & caliditatem, & siccitatem affert; idem affirmat Gal. com. 4. in lib. 6. Hipp. de morbis uulgaribus super text. 23. Ex sui autem natura somnus frigefaciendi, et humectandi vim habet, vt idem Auicenna loco supracitato fatetur, dum ait, somnum cum super cibos calidos non fit, sitim sedare. Idem testatur Hipp. lib. de flatibus, vbi inquit; Cum enim corpus inuaserit somnus, sanguis frigesit, natura enim somno frigefaciendi vis est, *Qua ratione idem Hipp. lib. 1. de diæta docuit conferre æstate interdiu somno vti breui non multo, ne corpus ab anni tempore resiccetur; Quinimmo somnus eadem de causa superficialem etiam sitim sedat, vt Auctor est idem Hipp. 6. de morbis vulgaribus, vbi affirmat,* inter vigilandum superficiali siti, somnus medelam esse: *quod accidere dicit Gal. in com. corporis penitioribus madescentibus, vt pote per somnum sanguine ad interiora agente. Ex quibus omnibus facilè constat, somnum per accidens sitis causam esse, non autem per se. His itaque de causis mendosa sitis in sanis fieri solet, quæ ad morbosæ sitis differentiam, superficialis dici potest, cum facilè, vel ex oris ablutione, vel gargarismate, vel ex vsu aliquorum refrigerantium in ore detentorum, vel denique ex modico aquæ potu, si opus sit, extingui facilè possit; immo vero à potu abstinere, quandoq; huiusmodi siti medela est, & præsertim, quia in robustis corporibus etiam si cibus, & potus ingesti neque quantitate, neque qualitate peccent, vix fieri potest, dum in ventriculo*

conco-

cõcoquuntur, quin modica sitis excitetur, nam cùm coctio ab insito calido perinde, atque elixatio fiat, quemadmodum in illa calidus quidam halitus effertur, ita & in ventriculo contingit, dum ciborum coctio fit, sed cum huiusmodi sitis leuis admodum sit, & nullum faciat laborem, à potu penitus abstinendum est, cum ex eo coctio impediri, ac retardari maximè possit, si vero eueniat, vt in fine coctionis quis sitiat, potus inutilis non erit, quia concocti cibi distributionem coadiuuat, vt vult Gal. 4. Aphoris. comm. 83.

Quæ potus quantitas in cœna, & prandio vnicuiq; conueniat, & an vnica sorbitione, vel pluribus exhaurienda sit. Cap. XIX.



IPP. lib. 3. de dieta, cap. 1. hæc habet: De diæta humana exactè quid conscribere, vt ad ciborum, ac potuum copiam, laborum commensurario, ac Symmetria fiat, non est possibile: multa enim sunt impedimenta. Primum quidem hominum naturæ diuersæ existentes: nam & siccæ ipsæ ad se ipsas, & ad alias collatæ, magis, ac minus siccæ sunt, & humidæ: similiter etiam aliæ omnes: Deinde ætates non ijsdem indigentes: insuper & regionum situs, & ventorum mutationes, ac temporum alterationes, & anni constitutiones: Est & inter ipsos cibos multa differentia, triticum enim à tritico differt, & vinum à vino, & reliqua omnia, ex quibus victum facimus, diuersa existentia, impediunt, quo minus possibile sit exactè de diæ-

ta conſcribere. *Illud tamen ex eodem Hipp. lib. 1. de diæta num. 2. certum eſt, ciborum ac potuum menſuram à laboribus deſumendam eſſe, nam homo edens, & bibens ſanus eſſe non poteſt, niſi laboret, & licet contrarias inter ſe vires habere videantur, cibi, potus, ac labores, tamen inter ſe miſti conferunt ad ſanitatem: labores enim, ea, quæ inſunt conſumere ſolent; cibi autem, & potus ea quæ euacuata ſunt, explent: concludit itaque Hipp. num. 3. huius libri, quod ſi inueniatur ciborum, ac potuum menſura, ac laborum ad vnã quanque naturam numerus ita, vt exceſſus, neque ſupra, neque infra modum fiat, inuenta ſanè exactè fuerit hominibus ſanitas, ſed hoc facere impoſſibile exiſtimat, niſi medicus præſens ſit, & optimè norit, quantum aliquis laborauerit, quo cognito, ſecundum laborum numerum, cibum, & potum addendo, ſanitatem cuſtodire facilè poſſit; abſentibus autem cibus, potus, ac labores exactè præſcribere impoſſibile eſſe dicit, tamen ſi ea, quæ inferius afferam quis animaduertit, facilè cognoſcet, quæ potus quantitas ſibi conueniat, & quæ obſit, non enim hæc vulgaribus hominibus ſuadere mihi propoſui, ſed ijs, qui cognitionem exercitatam habent, quibus ea recenſere, quæ à Galeno dicuntur 6. de ſanitate tuenda cap. 14. in fine, non inutile eſſe exiſtimo, ita enim concludit ibi Gal. poſt multa monita ad ſanitatem tuendam:* Omnibus vero, qui hæc legent, communiter illud ſuaſum velim, præſertim, qui tametſi medicinæ artis ſint ignari, cognitionem tamen habent exercitatam, ne veluti vulgus, ita ipſi quoq; pecorũ ritu victus ratione vtãtur: quin potius vſu explorẽt, qui nã ipſis cibus potuſue ſit noxins, quæ preterea, quantaq; dimotio conueniat.

Dicendum itaq; primo ex Hipp. potus quantitatem præcipuè à laboribus deſumendam eſſe, nam cum potus ob refe-

ctio-

ctionem frigidæ & humidæ substantiæ, necessarius sit, & huiusmodi substantia à laboribus dissoluatur, prout homo magis, vel minus laborat, cuius ratione maior, vel minor fit etiam dissolutio, ita plus, vel minus homines potare debent; labor enim ita necessarius est, vt si quis cibum, & potum accipiat post laborem, vel vt melius dicam, post sufficientem motum (per laborem enim Hipp. sufficientem motum intelligit) cibus, & potus calorem naturalem ita reperiunt, sicut ignis quando ardet, idque propterea quod ex sufficienti motu corpus mundificatur, quatenus scilicet excrementa eijciuntur, & alimentum per vniuersum corpus distribuitur, ita vt cibi, & potus indigentia fiat, contra vero, si quis cibum, & potum ante sufficientem motum accipiat, cum corpus mundificatum esse non possit, cibus, & potus naturalem calorem submersum inueniunt, sicut ignis quando operitur cinere, idq; propterea quod prius sumptum alimentum distributum non est.

Dicendum 2. cum Galeno lib. de bonitate, & vitio succorum cap. 11. potus quantitatem secundum varias hominum naturas præscribendam esse, cum itaque hominum naturæ quædam temperatæ sint, quibus dominatur sanguis purus, & mundus, quædam non temperatæ, quibus dominatur phlegma, vel vna duarum cholerarum. Temperatis naturis mediocris potus conuenit, phlegmaticis exiguus potus exhibendus est, cholericis largior potus conducit. Melancholicis ille potus conueniens erit, qui inter mediocrem, & largiorem potum medius existit, & prout intemperatæ naturæ à temperie, ac symmetria magis, vel minus recedunt, sic potus vel imminuendus, vel augendus est, & ex Galen. 4. Aphoris. com. 83. potus multus dandus est his, qui habent aluum siccam, contra his, qui humidam.

Dicen-

Dicendum tertio ab ætatibus potus mensuram eligendum esse, pueri enim cum calido, & humido temperamento præditi sint, vt asserit Galen. lib. 2. de temperamentis cap. 2. potus modicus exhibendus est; Adolescentulis, cum non ita humidi sint, paulo liberalior potus conducit; Iuuenibus liberalior adhuc potus exhibendus, cum adolescentibus sicciores sint, non enim alia ratione, qui in iuuentutis vigore existunt, calorem acriorem habent, nisi quia ipsorum calor in sicca substantia repræsentatur, quemadmodum puerorum calor in humida. Iis autem, qui ad consistentiæ ætatem peruenerunt, largus potus concedi debet. In senectute denique, cum inter omnes alias ætates senectus frigidior, & siccior sit, largior vini potus, quam omnibus alijs ætatibus permittendus est, ita vt pueris parcus conueniat potus, adolescentibus respectiuè non ita parcus, iuuenibus liberalior, ætate consistentibus largus, senibus largior.

Dicendum vltimo secundum Regionum situm, maiorẽ, vel minorem potus quantitatem conferre, hominibus enim orientales, ac meridionales plagas habitantibus, ratione situs, qui calidior est, vberior potus conducit: habitantibus vero septentrionales, & occidentales plagas, minor potus quantitas requiritur, eadem ratione in uentorum mutationibus, temporum alterationibus, & anni constitutionibus procedendum est, prout enim Regiones calidis, vel frigidis ventis perflantur, prout tempora mutantur ad calidum, & frigidum, ac denique prout variæ temporis constitutiones vigent, sic potus in hac, vel illa quantitate exhibendus est: Præterea anni etiam tempora sunt considerãda, æstate enim plurimum bibendum, ne corpora ab anni tempore resiccentur, hyeme potus exiguus concedi debet, quia cum sanguis ratione frigidioris ambientis ad interiora agat, corpus humidius

midius existit. Vere potus paulò vberior sit hyeme. Autumno non ita largus potus exhibeatur, vt in æstate; quantum enim veris tempus ratione caliditatis ab hyeme distat, ac æstatem sapit, & autumnus in caliditate, & siccitate ab æstate recedit, ac hyemis naturæ appropinquatur, ita potus veris tempore augẽdus respectu hyemis, autumni tẽpore minuendus respectu æstatis, quæ superius quoque dicta à nobis sunt. His omnibus addi debet hominum staturæ, consuetudinis, ac exercitij consideratio, secundum quæ omnia potus etiam augeri, aut minui debet. Verum illud maximè præ oculis omni tempore habendum in qualibet hominis natura, & ætate ex Gal. 7. Meth. cap. 6. vt potionis is modus sit, vt nec in ventriculo innatet, nec fluctuationis vllius sensum inuehat: Inter ea autem, quæ grauare maximè possunt, ex Plutarcho lib. de sanitate tuenda, sunt carnes, ait enim eo loci: Maximè cruditates metuendæ sunt ab esu carnium. Nam hæ, & initio statim valde prægrauant, & reliquias post se malignas relinquunt, ac optimum quidem erat ita corpus assuefacere, vt nullũ id carnium requireret esum, Nõ enim ad nutriendum modo sufficientia largiter tellus produxit, sed etiam ad delectationem, voluptatemq; faciẽtium copiam, quibus partim nullum apparatum alium requirentibus vesci possis, partim sexcentis modis miscere, & suauia redigere. Sed quando consuetudo, non quidem omnino naturæ ea aduersa, in naturam iam abijt, carnibus vescendum est sanè, non tamen ad explendum appetitum, vt lupi faciunt, ac leones: sed cum eas tãquam fundamentum quoddam, & munitionem, qua reliqui cibi continentur, ingesserimus, alij deinde cibi atque obsonia addantur, quæ & naturam corporis nostri proprius attingant, & mentem minus hebetent nostram, veluti ex tenui,

nui,& facili materia incensam. *Sed ad potum redeundo, de quo agitur, non satis est, vt is optimus eligatur, ac naturæ conueniens, sed eius dosis talis esse debet, vt sua quantitate virtutem digestiuam non superet, cum enim id accidit, ex Galen.8.de compositione pharmacorum secundum locos, non solum ventris, & stomachi lassitudines sequuntur, sed ex huiusmodi potu nulla fit nutritio; In principio enim medicæ artis habetur,* Propterea bibaces sufferre maximam potus quãtitatem, quia natura in his non procedit per viam digestionis ad venas, & alias partes nutriendas: sed tanta mole, ac pondere grauata transmittit statim vini potus ad latas ventris vias, & vrinæ, *quod testatur etiam Aristoteles 3. sect. problematum, problem. 21. vbi quærens quam ob causam, quod vniuersum raptimq; bibitur, ventrem id minus humectet, cum tamen ab humore copiosiore plus humectari conueniat? respondet.* An quod humorem multum, ac vniuersum venter superare non potest, sed locum adire suum indomitum patitur? locus autem crudi humoris vesica est. Exiguum vero facilè vincit, & concoquit: Ex quo moram hic diutius trahens, ventrem porrò humificare potest. *Vnusquisq; itaque sibi consulat quoad potus quantitatem, ac studeat attentis supra narratis certam potus mensuram sibi præscribere, quod facilè erit, cum quilibet in hoc naturam, coadiuuantem habeat, quæ potus dumtaxat quantitatem sibi sufficientem desiderat: & si accidat quandoque, vt aliquis vehementi siti corripiatur ex aliqua magna causa, non debet in tanta potus auiditate sitim statim explere, etiam si potus inculpabilis sit, quia ex Gal.6.de locis affectis cap.3. qui in vehementi siti vehementer potarunt quatuor accidentia subire consueuerunt, Vnum & quidem primum vomitio est. Alterum velox per aluum excre-*

tio,

tio, aut fluore, aut intestinorum leuitate. Tertium quod potus diutius, quam par est in ventriculo maneat. Quartum vrinæ flluor. Nec in vehemẽti siti quis penitus à potu se abstinere debet, refert enim Gal. lib. 1. de Sympthomatum causis cap. 7. quosdam, qui pertinaciter sustinere sitim sibi imperauerant, perijsse. Reliquum modo est, vt videamus, an potus quantitas ab ipsa natura requisita vnica vice, vel pluribus vicibus haurienda sit. Atque in hoc mihi videntur illi plurimum laudandi, qui communem bibendi vsum sequuntur, partitis scilicet vicibus, quemadmodum etiam Antiquos fecisse testantur Athenæus, & Apuleius, ille 10. lib. hic vero lib. floridorum, quanquam innuãt, non tantum ea in re quæsitam sitis extinctionem, sed & quandoq; ebrietatem, ac ferè insaniam, nimirum quia pluribus, ac grandioribus poculis, quàm par esset, vterentur; Veteres enim illi Aegyptij primum, et Assirij, deinde Græcorum, & Romanorum quam plurimi omnem vitæ fælicitatem fortunæ tribuebant, ac suorum Deorum superstitioni, persuasiq; sunt ad illorum imitationem, vt non alium sibi ipsis præscriberent vitæ finem, nec aliam agnoscerent fælicitatem, quam iucundè viuere, ac voluptatibus indulgere; & propterea apud Persas, vt testatur Athenæus lib. 11. illis præmium constituebatur, qui voluptatem aliquam nouam excogitarent; qua ratione factum fuisse asserit, vt multa cibaria reperta fuerint, multa bellaria, suffitus varij, vnguenta non pauca, vestimenta, stragula, pocula, & alia id genus vasa. Apud nonnullas alias nationes, vt idem Athenæus lib. 12. refert, aureis coronis illi coronabantur, qui in quibusdam publicis cœnis ambitione studiosa prælautas, ac splendidas epulas exhiberent, quin, & in ijs epulis coqui illi coronis donabantur, qui optimè apposita fercula condiuissent, curiososq; cibos

appa-

apparassent. Præterea apud Magnates omnes, vinum in tanta veneratione erat, vt congiorum diem festum singulis annis celebrarent, referente Athenæo lib. 10. quo die Reges, & Principes aureas coronas, aliaque magna præmia ijs instituebant, qui, vel primi congium ebibissent, vel alios in compotationibus superassent, & hic dies, adeo celebris erat, vt Phenodemus ex Athenæo lib. supracitato scripserit, à Demophonte Rege, peregrinum, & Athenas profectum Orestem, non grauatim exceptum fuisse, verum admitti noluisse ad sacra, aut libationum participem fieri, iudicio nondum absolutum: nempe à Matricidij delicto, itaque præcepisse, vt clauderentur templa, vnicuiq; vini congium apposuisse, & placentam ei, qui bibendo primus exiccasset promisisse, mandasseq; vbi compotare desijssent, ne coronas quibus erant redimiti, in templa referrent, quoniam vna cum Oreste vinum hausissent: hoc edicto vnumquenq; suo congio, quam gestabat coronam circumuoluisse, & in eo nemore, quod lacus ambit, sacerdoti reddidisse, post, quod supererat, in templo sacrificasse, ac iam inde festos illos dies vocatos fuisse congios. Præterea horum dierum tanta erat obseruantia, vt in eorum honorem ex Platone lib. de legibus inebriari indecorum nemini esset; Magnam etiam diligẽtiam prisci adhibebant in poculorum varietate, multitudine, elegantia, magnitudine, & vt argentea, aurea, gemmata, ac pretiosa admodum essent, adeo vt aliqui, vt idem Athenæus lib. 11. refert, non tam gloriarentur, quod diuites valde essent, quã quod argentea, & aurea pocula multa possiderent, & ideo Pythas ex Arcadiæ Pighalia, vt ibidem legitur, excessurus vita, familiaribus suis diligenter mandauit, suo vt monumento hæc inscriberent.

Pythæ monumentũ hoc est boni, prudentisq; hominis,

Cui

Cui poculorum innumera vis fuit
Argenteorum, Aureorum, & ex electro lucido:
Plura multo, quam priores in Epula is absumpsit.

Et hoc eodem loco paulo inferius legitur, Himerum, qui non Babyloniorum tantum, sed seleucensium adeptus est Tyrannidem, inuitato ad cœnam cum trecentis Lysimacho, sublatis mensis, argenteũ poculum cuiq; præbuisse, pondo minarum quatuor, & post libationem simul omnibus exhibuisse, voluisseq;, suum vt singuli auferrent poculum, sed hoc non mirum, quia prisci illi Tyrãni, ac Reges delicijs adeo affluebant, ut apud ipsos sumptuosissimi admirabilesq; luxus omnibus in rebus vigerent; adeo vt Seneca lib. 3. Nat. quæst. hæc dixerit, Ad hunc fastum peruenere ventres delicatorum, vt gustare non possint piscem, nisi quem in ipso conuiuio natantem, palpitantemq; viderint *lib. vero 13. epist. 87.* eo delitiarum, *inquit*, peruenimus, vt nisi gemmas calcare nolimus; *Vnde beatissimi illi dicebantur, quibus plurimæ essent in promptu exquisitissimæ voluptates, sed hoc vnum admiratione dignum, vt prudentiæ ascriberent, si quis plura, & grandiora pocula exiccaret, ijsque præmium exhiberetur, qui alios potando vincerent, vt Euripidem innuisse legimus apud Athenæum lib. 15. his verbis.*

Crebris percusserunt Bacchi sagittis
Caput senis: at qui ferijt eum coronari
Iussi, Cottabumque premium dedi.

Cottabus autem elegantis, ac pretiosi vasis speciem præseferebat, quo inter epulas ad ludum vtebantur, huiusmodi autem ludum à Siculis inuentum fuisse testatur idem Athenæus lib. 10. quo libro legitur etiam in Darij sepulchro inscriptum fuisse, ipsum potuisse multum bibere, vinumq; commodè ferre, præterea hoc eodem libro apparet etiam in quodam

dam Poetæ sepulchro huiusmodi Epigramma insculptum fuisse.

Posteaquam multa bibi, multa comedi, & maledictis
hominis multis
Sum insectatus, hic iaceo Rhodius Timagoras.

Constat itaque apud Priscos communiter temulentiam in honore habitam, ac pręmio inuitatam fuisse, præsertim verò apud magnates, ac eorum finem voluptates fuisse, quarum ratione, vt apud eundem Athenæum lib. 11. videre est, licet in repentinam mortem, & alias monstruosas, variasque corporis affectiones inciderent, tamen adeo ad eas propensi erant, vt Athenienses, ac Romani à suo ipsorum Imperio, ac Regnis (vt in Athenæo lib. 13. legitur) Philosophos eiecerint, vtpotè qui bonos mores edocerent, ac diuitiarum vsum ad insolentiam, ac importunas voluptates redarguerent, ita, ut iure merito Galen. lib. 1. Meth. medendi cap. 1. de deprauatis sui temporis moribus conquereretur, ait enim eo loci sua tempestate non exiguum hominum numerum ebrietati, ac commessationi operam dedisse, & quod inuicem pocula propinabant, & magnitudine poculorum certabant, ita, vt inter eos optimus censeretur, non qui plurimis instrumentis musicis, aut etiam sermone philosophico vti nossent, sed qui multos, eosq; maximos calices exsiccarēt, idque præcipue in cœnis consueuisse, in quibus luxuosas propinandi, ac bibendi formulas seruabant. Et primò quidem pro Imperatorum salute bibere apud ipsos mos erat, vt Dio Cassius meminit, & propterea D. Ambrosius eos sic redarguit cap. 17. de Helia, ac Ieiunio. Quid obtestationes potantium loquar? bibamus inquiunt pro salute Imperatorum: & qui non biberit, si reus indeuotionis. *Secundo in absentiũ amicorũ gratiam, vt Tibul. indicat lib. 2. eleg. 1. his carminibus.*

Sed

Sed bene Messallam sua quisq; ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.

Tertio in præsentium sodalium obsequia, vt Plautus in Persa exprimit.

Pegnium tarde cyathos mihi das, cedo sanè, bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ (*sic bibens.*)

Quarto in amicarum mulierum gratiam, pro quibus tot cyathos bibebant, quot erant in earum nomine litteræ, vt Martialis indicat lepido epigram. in 1.

Næuia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

Quinto idem faciebant pro musis, & gratijs, vt Ausonius Gallus commemorat, sub prætextu enim trium gratiarum, & nouem musarum, compotationes multiplicabant, ac ter tria pocula propinando, nouies bibebant. quod hoc distico innuit.

Ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti.

Qua in re Ausonius Horatium imitatus fuisse videtur lib. 3. ode 19. vbi alludens ad tres gratias, & nouem musas, amicum hortatur ad eandem potuum multiplicationem.

-------- Tribus, aut nouem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus potet Vates.

Sexto denique tot cyathos aliqui bibere consueuerunt, quot annos viuere cupiebant, quod clarè indicat Ouidius 3. fastorum, sic canens.

Sole tamen, vinoq; calent: annosq; precantur,
Quot sumunt cyathos, ad numerumq; bibunt.

Inuenies illic, qui Neſtoris ebibat annos:
Quæ ſit per calices facta ſibylla ſuos.

Et in huiuſmodi compotationibus, ita aquam deteſtabantur, vt Lycurgus Tracum Rex, teſte Lactantio, à ſuis in mare præcipitatus fuerit, quod primus mero aquam miſcuiſſet.

Nos autem, qui Chriſtiani ſumus, quorum finis veri Dei fruitio eſſe debet, non autem huiuſmodi pernicioſæ, ac inſanæ voluptates, ſobrio potu vti debemus, reiteratiſq; vicibus ad ſitis extinctionem, & propterea ſatis laudarem, vt quilibet tribus, vel quatuor interpolatis vicibus conuenienti poculo ſecundum ætatem vtentis, exercitium, ac anni diuerſam conſtitutionem, in cœna, ac prandio potum ſumeret, iuxta Athenæi præceptum lib. 2. qui poſt narrationem bonorum omnium, quæ vinum modicè ſumptum afferre ſolet, Bacchum hæc loquentem fingit.

Tria ergo pocula tantum miſceo
Illis, qui ſapiunt: vnum bonæ valetudinis,
Quod omnium primum bibunt: deinde alterum
Amoris, & voluptatis, ſoporis tertium.
Hoc epoto ij, quos ſapientes dicimus,
Se ſe domum recipiunt: poſt ſi quartum additur,
Non eſt id amplius noſtrum, ſed proteruiæ,
Quintum clamoris alte vociferantibus.
Sextum petulantis comeſſationis: ſeptimum
Macularum, ac ſugillationum in oculis:
Apparitionis octauus: nonus iracundiæ:
Decimus furoris, quo proſternuntur qui bibunt.
Nam in exiguum vas multum ſi vinum funditur
Appotos ſupplantat facillimè.

Tribus itaque poculis, vel quatuor ad ſummum, niſi

præter consuetudinem maximus præcesserit labor, sitim extinguendam esse censeo, & reiteratis vicibus, nec pocula ea esse debent, qualia antiqui frequentabant, apud quos ampla adeo erant, vt potus quantitatem non ad vnciarum, sed ad librarum mensuram continerent, quare Athenæus lib.11. de magnorum poculorum vsu agens, rectè eos locutos fuisse existimauit, qui huiusmodi magna pocula argenteos puteos nominarunt, quibus poculis Hercules, ac Nestor præsertim vtebantur, adeo, vt per iocum scriptores, ac Poetæ Herculem in poculo nauigasse fabulati fuerint: de Nestoris autem poculo apud eundem Athenæum eod. lib. legitur, adeo magnum fuisse, vt cum plenum esset, vix alij gestarent, Nestor autem senex citra molestiam attolleret, & huiusmodi magna pocula clarissimis præsertim viris ad potum honoris gratia in mensis porrigebãtur: Alexis enim (referente Athenæo) inquit, Græci nõ modo loci dignitate viros fama præcellẽtes in mẽsa, sed poculis maioribus, & carne opimiore honestabant, *sed eiusmodi pocula sint, vt quatuor, quinque, vel ad summum 7. vnciarum mensuram non excedant, eaque reiteratis, ac interpolatis vicibus pro certa ciborum quantitate ingesta haurienda, ne potus in ventriculo supernatet, & præcipuè, quia hac ratione fit, vt cibus, & potus melius inter se commisceantur, idque facilè innotescere potest exemplo desumpto ex calcis confectione ad domus construendas, si enim calci ea aquæ quantitas, quæ requiritur, vt apta sit ad ædificationem, paulatim addatur, optima fiet mistio, ac incorporatio, quia à calce mediocris aquæ quantitas, vnica vice in ipsam iniecta, facilè recipitur, si autem affatim tota illa aqua inijciatur, quam alioquin partitis vicibus facili negotio absorbuisset, perspicuum est, à calce recipi non posse, nec eam misturam fieri, quæ ad ædificandum*

apta sit, ita si in hominis ventriculum, ea potus quantitas, qua natura indiget, ad aßumpti cibi proportionem de repente inijciatur, cibus cum totam potus quantitatem affatim haustam assumere non valeat, in ventriculo facilè supernatare pòterit, & coctio, vel diminutè, vel deprauatè fiet; si autem tota potus quantitas requisita ad aßumpti cibi proportionem, ac ad humidæ substantiæ reparationem partitis vicibus ingeratur, hoc non continget. simile exemplum affert Aristoteles sect. 1. problematum problemate 57. ubi quærens, cur potio in febribus sæpè, & paulatim subministranda sit, respondet. An quod potio multa præceps defertur, exigua lentè incedens irrorat, madefacit, seseque insinuat corpori? sicut enim in humo, si aqua largè accesserit, perfluet, si paulatim vero madefaciet tantũ, ita etiã in febribus agit. *Concludendum itaq; potum in cœna & prandio reiterandũ esse, & magis, vel minus, prout cibus in maiori, vel minori quantitate ingestus fuerit, & prout ex præcedenti motu maior, vel minor humidæ substantiæ resolutio facta erit; & animaduertendum maximè est ex Gal. lib. de dissolutione continua c. 1. ne quis multũ vini hauriat initio comestionis, ne descendat cibus cũ vino, & prohibeat coctionem, propterea quod separat inter substantiam stomachi, & inter cibum: et quãdo non tangit stomachus cibũ, non mutatur in similitudinem corporis conuenientẽ, sed remanet in ipso incoctus, & vt summatim dicam in potu mediocritas semper seruanda est; ex Gal. enim lib. 8. de compositione pharmacorum secundum locos cap. 3. multæ affectiones tum in ventre, tum in stomacho fiunt, ijs, qui multo potu se explent. Ex Auicenna autem 3. p. doctrina 2. cap. 7. vehemẽs repletio, siue ex comestione, siue ex vino sit, semper pernecabilis est: hortor itaque omnes quoad vini quantitatem, vt*

Augu-

Augusti, ac Taciti Imperatorum modestiã, ac parsimoniam sequantur, qui vel largissimè sese ad potum inuitantes vini sextarium tota die non excedebant; vt de Augusto Suetonius testatur c. 77. de Tacito Flauius Vopiscus, hæc enim mensura honestè bibenti satis est, vnde Horatius lib. 1. Satirarum satira prima.

Nescis, quid valeat nummus? quem præbeat vsum?
Panis ematur, olus, vini sextarius.

Quos imitari difficile non erit, si quis naturæ indigentiam in potu sequatur, non autem gustus oblectationem, vt pleriq; faciunt, sextarius enim 20. vnciarum mensura circiter erat, adeo, vt iure merito Plinius hominum incontinentiam respiciens lib 23. cap. 1. hæc pronunciauerit, vino debemus homines, quod soli animalium non sitientes bibimus, quod tamen vini munus improbandum potius est; reliquæ enim animantes sola indigentia ad potum trahuntur, non gustus oblectatione, vt nos sæpè facimus, licet rationales simus, vnde non mirum si ob tantam incontinentiam, soli etiam inter animantes facilius, ac sæpius omni morborum genere corripimur, Quare summo iure hac nostra ætate repetere possum, quod Propertius lib. 2. eleg. 4. eleganter cecinit.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

De temulentia præcauenda, cognoſcenda, ac propulſanda. Cap. XX.



VONIAM aliqui adeo bibaces, ac vinolenti ſunt, vt ab immodico vini potu abſtineri nequeant, aliqui verò, vt ad omnia aptiſſimi videantur, præter conſuetudinem, ac voluntatem, cum alijs quandoque comeſſantes, largè ſe vino ingurgitare nituntur, vt ijs præſertim contingere ſolet, qui apud Germanos, & ſub aquilone poſitas gentes degunt, apud quos, cum non ſolum, ea olim viguerit conſuetudo, quemadmodum Athenæus refert ex Poſſidonio lib. 2. deipnos. vt cum humanè, ac benignè aliquos in conuiuio exciperent, frontis venam tunderent, manantemq; ſanguinem admiſcerent ei, quam bibendam offerebant, potioni, ſummam id eſſe amicitiam putantes, ſi ſuum inuicem ſanguinem guſtaſſent; verum etiam hac noſtra tempeſtate illud peculiare ſit, eos fidos amicos exiſtimari, qui ſtrenuè potant, libenter alios ad compotationes prouocant, & qui in bibendi certamine ſuperiores ſunt, in quo diem, noctemq; continuare potando nulli probrum exiſtimatur, neceſſariò contingit, vt in temulentiam frequentiſſimè incidant, in qua res etiam arduas deliberare ſæpe ſolent, quod non minus Græcorum, quam Perſarum olim moris fuiſſe, teſtatur Plutarchus ſympoſ. lib. 7. quæſt. 9. Idq; non ſine maxima ratione, & prudentia factum putarem, cum ex Plinio lib. 14. cap. 22. vulgo vino veritas attributa ſit, & ex Athenæo lib. 10. ſicut æs exterioris

formæ ſpeculum eſt, ita vinum mentis, hinc itaque fit, vt vnuſquiſq; liberè, ſine fuco inquam, & fallacijs ſuam ſententiam proferat, vina enim libera ſunt, & tali nomine ab Horatio nuncupantur lib. de arte poetica hoc carmine.

Et Iuuenum curas, & libera vina referre.

Sat. vero 4. lib. 1. inquit.

Condita cum verax aperit præcordia liber.

Facili itaque negotio contingere poteſt, vt inter epulas, & pocula, pleriq; homines tales ſe eſſe demonſtrent, quales ſunt, non quales ſe eſſe ſimulabant, & eo magis huiuſmodi Germanorum mos laudabilis dici debet, quia quæ in conuiuijs deliberata ſunt, poſtea retractantur, & habita vtriuſq; temporis ratione, quid agendum conſtituunt, ita ut, quemadmodum Tacitus de moribus iſtius gentis inquit, deliberent, dum fingere neſciunt: conſtituant, dum errare non poſſunt; *tamen, cum apud Italos, aliaſq; nonnullas Nationes, temulentiæ etiam ſuſpitio opprobrioſa ſit, propterea operæpretium duxi, non ſolum aliqua in medium afferre, quæ temulentiæ obſiſtant, ſed ſi accidat, vt quis temulentus euadat, quibus ſignis cognoſci poſſit inſinuabo, ac deniq; quomodo temulentia propulſanda ſit demonſtrabo. Quoad temulentiam præcauendam attinet, multa ſunt, quæ ab huiuſmodi vitio nos tueri poſſunt, vel quatenus vini odium pariūt, vel vinum per vrinarios ductus, aut aluum ducunt, vel à proprietate occulta. Ex Gal. lib. 3. de med. facilè parandis. c. 108. Vini odium pariunt ipſius vini potio, in quo anguilla ſuffocata ſit, vel vuæ inferuefactæ comeſtio: Plinius lib. 30. cap. 5.* ebrioſis, *inquit,* oua noctuæ per triduum data in vino, eius tædium adducere, *lib. vero 32. cap. 10. ſcribit.* Mullum in vino necatum, vel piſcem rubellionem, vel anguillas duas, itemque vuam marinam in vino putrefactam, ei

qui inde biberit, tædium vini afferre. *Albertus magnus lib. 22. de animalibus testis est, eos vinum abhorrere, qui stercus leonis in vino potarint. Autor ille Geoponicon lib. 7. cap. 32. auctoritate Democriti demonstrat, humorem illum tenuem, qui de sarmentis post cæsuram defluit, si ignoranti inter pocula exhibeatur, vini desiderium extinguere. Eudoxus apud Stephanum scribit, in Azania Arcadiæ fontem esse, cuius aqua gustantibus adeo vini tædium pariat, vt eius quidem odorem non ferant. Vitruuius lib. 8. cap. 4. Ouid. lib. 15. Metam. illis versibus:* Hinc quod, vt indigenæ memorant, &c. *& rursus eod. lib. illis versibus;* Clitorio quicunq; sitim, &c. *Plinius lib. 31. cap. 2. testes sunt, eos, qui ex aqua fontis Clitorij Arcadiæ biberint, Abstemios fieri. Anacharsis Scytha interrogatus, quo pacto quis abstemius, siue inuinius fieret:* si ebriosorum, *inquit*, motus sibi ob oculos ponat, *id quod ei simile est, quod de iratorum vultu considerando iracundis suadet Cicero. Deniq; inter recentiores Capiuacius lib. 3. de affectionibus ventriculi cap. 8. ait,* vini tædium adducere vinum ipsum in vase detẽtum, in quod patiente inscio, immissa sit, vel lacerta viua, vel testudo lacustris, vel semina caulium. *Quo autem ad ea, quæ temulentiæ aduersantur ante vini potum assumpta, quatenus potulentam materiam per vrinam, vel per aluum expurgant, multa sunt, inter quæ Galenus lib. 2. de compos. Pharm. secundum locos, laudat absynthium mane ieiunis ad bibẽdum exhibitum, aut mirti florem, & mirrham, ac rutam tritam ex aqua. Præterea ebrietatem arcet foliorum rutæ, acori, thebaicæ palmulæ, ac amygdalarum amararum comestio; idem etiam præstat, si persicorum nuclei, foliorum persici arboris expressus succus ad cyathi mensuram, nux muscata, ac mirta exhibeantur. Hæc enim omnia meatus recludendo,*

do,

do, sunt in causa, vt cito, & facillimè vinum per vrinam excernatur. Inter ea autem, quæ superius dicta sunt, amygdalæ amaræ ante vini potum, adeo conferunt ad temulentiam prohibendam, vt Athenæus libro secundo, hæc retulerit; Plutarchus Chæroneus scribit apud Drusum Tyberij Cæsaris filium, Medicum quemdam alios omnes qui bibendo vinceret, anteaquam potaret, quinque, vel sex amaras amygdalas edentem fuisse deprehensum: & cum id facere prohibuissent, ne tantillum quidem ad compotationem perferendam valuisse. Eius sanè rei causa fuit amaritudinis vis exiccans, & humorem discutiens. *Quædam vero sunt, quæ præsumpta, per aluum vinum ducere valent, quemadmodum oleum ex oliuis expressum, panis buccella copioso melle imbuta, ac brassica; verum inter hæc brassica primum locum tenet, si elixa ante omnem cibum sumatur, & propterea apud Aegyptios, vt Athenæus refert lib. 2. in cœnis statutum erat, primo loco braxicam elixam comesse, vt hac ratione ad compotationes sese præpararent, ac ab ebrietate tuerentur, adeo, vt hanc ob causam Aegyptij vinolentorum nomen sortiti sint. Denique aliqua etiam sunt, quæ à proprietate occulta ebrietatem arcere dicuntur, vt Amethistus collo suspensus, ac pulmo ouis elixus ab initio comestus. Nec silentio prætereundum est, Antiquos in suis cœnis aduersus temulentiam coronis etiam refrigerantibus vti consueuisse, nempe ex myrto, ex folijs brassicæ, lactucæ, hederæ, violarum, ac similibus: Præterea ex refrigerantibus floribus, violis, ac rosis coronas conficiebant, quibus capita, ne vino grauarentur, muniebant; et libatione iam peracta vnguentis etiam illiniebant, & præcipuè rosaceo, vel mellino, vt potionis vapor eo facilius repelleretur, nec vini halitu offenderentur. Quare Iuuenalis sat. 15.*

Inde

----------- Inde virorum,
Saltatus nigro tibicine, qualiacunq;
Vnguenta, & flores, multæq; in fronte coronæ.

Lucretius de natura rerum lib. 4.

--------- Conuiuia ludi
Pocula crebra, vnguenta, coronæ, ſerta parentur.

Tibullus lib. 3. eleg. vlt.

Iamdudum Tyrio madefactus tempora nardo
Debueram ſertis implicuiſſe comas.

Horatius lib. 2. ode 3.

Huc vina, & vnguenta, & nimium breues
Flores amenę ferre iube roſæ.

Idem.

I, pete vnguentum puer, & roſas.

Vnguentum ſcilicet ad liniendum caput, roſas ad conficiendas coronas, quas vnguentis etiam aſpergere veteres conſueuerunt, vt teſtatur Athenæus lib. 15. Neque ſolum coronis, & vnguentis vtebantur, vt magis capita à vini vaporibus tuerentur, verum adeo luxu corrupti erant, vt vina etiam in ſecundis menſis coronarent, ac pretioſa, & ſuauia vnguenta ijs miſcerent, quare de vinorum coronatione Virgilius lib. 1. Aeneid.

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Et lib. 3.

Tum Pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, impleuitq; mero.

De miſtione aũt vnguentorũ cum vinis, Iuuenalis Sat. 6.

Quum perfuſa mero ſpumant vnguenta falerno.

Horatius ode 13.

Nardi paruus onyx eliciet cadum.

Ex dictis itaq; ſatis conſtat antiquorum luxus in potu, & ideo

& ideo non mirum si ad ebrietatem arcendam tot vnguentorum, ac coronarum generibus capita munire opus esset. His itaque sic se habentibus, iam de signis, quibus ebrietas cognoscitur agendum est. Dico itaque ex Hipp. lib. 2. Praenotionum num. 8. ebrium cognosci, quia sudabit magis, quam antea, & difficulter spirabit, & ipse se ipso grauior erit, ac humidior: sed & laetior erit: si non caput ipsi affligatur. Ex Gal. 2. de ma. mo. ebrietatis signa sunt supinum iacere, hiare, & stertere, praeterea ex eodem Gal. 10. de simplic. med. facultatibus, impletis, ac inebriatis vrina albida conspicitur. ex Aristotele sect. 3. problematum multa signa colliguntur, quibus ebrietas innotescit. Primum signum est, quod vinolenti non calent, sed frigent, rigent, tremunt, ac dolore laterum, caeterisq; huiusmodi vitijs corripiuntur, quatenus vinum califica sua facultate amplificata plus, quã vires corporis patiantur, calorem proprium corporis se permiscens. extinguit. Secundum est, quod vinolentis omnia circumferri videntur, quatenus eorum conspectus frequenter à calore vini compellitur, atque commouetur. Tertium est quod vinolentis res vna multiplex interdum esse videtur, idque propterea accidit, quia commoto aspectu à calore vini fit, vt nullo tempore idem visus in eodem quiescat. Quartum est quod vinolenti concumbere nequeunt, quia à nimio calore vini, omnes corporis facultates, & praesertim facultas motrix valde labefactatur. Quintum est, quod aliqui ex vinolentis retardi conspiciuntur, aliqui superbi, atque insanibundi, idque propterea quod, vt Chaeremon ait, vinum sese pro moribus vtentium applicat, & cum vinum suapte natura calidum sit, homines tardiores incendit, redditq; mobiliores: contra mobiliores dissoluit, atque retardat, & hinc fit, vt pleriq; melancholici in crapulis penitus resoluantur,

atque

atque labantur. Sextum signum est, quod aliqui ex vinolentis vomitu corripiuntur, quatenus præ vini multitudine cibaria in eorum ventriculo fluctuant, ac innatant, & non reprimuntur. Septimum signum est, quod nonnulli vinolenti ad lacrymandum propensi sunt, idque propterea accidere existimo, quia cum eorum caput humidius sit, ac pituitoso humore refertum, huiusmodi humor à calidioribus vini vaporibus liquescit, & attenuatur, & hinc lacrymæ facile oriuntur. Octauum signum est, quod aliqui ex vinolentis dormire nequeunt, aliqui vero profundo somno statim detinentur, idque euenit, quatenus aliqui caput calidius, ac siccius habent, aliqui vero frigidius, ac humidius, quibus igitur caput calidius, & siccius est, somnus oriri nequit, quia præcalidorum vaporum multitudine, cerebrum nimis incalescit, ac exiccatur, & animales spiritus assiduè agitantur, ita, vt somnus excitari non possit, qui alioquin à mitibus, ac mediocribus vaporibus facilè excitaretur; quibus verò caput frigidius, & humidius est, ac pituitoso, humore abundat, quatenus calidi vapores à vino eleuati à frigida, & humida capitis intemperie, cum pituitosi humoris existentia refranguntur, facilè etiam accidit, vt longus, ac profundus somnus oriatur. Nonum signum est, quod ebriosi solis calore gaudere maximè solent, idq; propterea quod, cum eorum naturalis calor à vini immodico calore imbecillis redditus fuerit, & eorum corpus admodum frigeat, coctionem desiderant. Decimum signum est, quod vinolentorum lingua oberrat, idque quatuor rationibus accidere potest. Prima est, quia quemadmodum corpus totum in temulentia titubat, ita etiam lingua labens oberrat, nec vocabula articulatim reddere potest. Secunda ratio est, quia, cum linguæ caro mollis, ac instar spongiæ sit, ampliatur madescens,

descens, atque extollitur, adeo vt ob nimiam mollitiem, ac amplitudinem exprimere verba non valeat. Tertia ratio est, quia quemadmodum in aqua ob aeris absentiam loqui non possumus, ita neque tunc, cum nimium in nos humorem ingerimus, cum itaque vinolentorum lingua in nimio humore se voluat, hinc fit, vt sincerè exprimere voces non possit. Quarta ratio est, quia, cum in vinolentia animus etiam compatiatur, à quo omnis loquendi vis originem habet, vt lingua etiam afficiatur consentaneum est, quinimo absque vinolentia, quocunq; modo afficiatur animus, vt lingua etiam sentiat, & compatiatur, necesse est, vt in metuentibus patet. Alia etiam signa in vinolentis conspiciuntur, nempè stupiditas quædam, nimius risus absq; causa, furor talis quandoq; vt alios pulsent, mictio inuoluntaria, tortuosa deambulatio, oculorum inconsueta turbiditas, ac luciditas, nimia, ac irrationalis locutio, ac alij multi turpes, & irrationales effectus sequuntur secundum naturam, quantitatem, & qualitatem epoti vini, ac vtentis naturale temperamentum, adeo vt iure meritò, vt ait Aristot. 2. Politicorum cap. vltimo, ex Pittaci lege maiori pœna ebrij damnarentur, si quem pulsassent, quam si sobrij fecissent, quod enim plures delinquant ebrij quam sobrij, non ad id respexit, quod magis esse debeat ebrijs venia, sed ad vtilitatem. Reliquum modo est, vt de ijs agamus, quæ ad propulsandam ebrietatem idonea sunt, qua in re illud prius animaduertendum est, vinum vel adhuc crudum, & incoctum permanere in ventriculo, vel iam recepisse coctionem, quam potuit, venasq; subijsse; si vinum adhuc crudum in ventriculo permanet, ac fluctuat, nihil conuenientius esse potest, quam vomitum tepida aqua addito modico aceto, vel oximellite excitare, postmodum testes, partesq; genitales aqua

gelida

gelida macerare, madidoq; mantili, aut ſudario inuoluere, fœminis vero, vbera mammæq; in eumdem modum foueantur, confeſtim enim auerſis vaporibus, omnis vinolentia diſcutitur; ſi autem vinum iam venas ſubijt, caputq; dolet, nullum erit oportunius remedium, quam caput ità refrigerare, vt vapores, qui aſſiduè ad ipſum deferuntur, ac ratione immodici caloris facilè etiam recipiuntur, varijs præſidijs reprimantur: inter quæ Galen. lib. 2. de compoſ. pharmac. ſecundum locos cap. de dolore capitis ab ebrietate, probat roſaceum per ſe, & cum aceto, aut hæderæ, aut braſſicæ ſucco, quin ſubdit, ipſa braſſicæ folia calida irrigata, capitique circumpoſita, ac obligata, naturaliter ebrietati reſiſtere. Aetius ad curandam ebrietatem centauri minoris decoctum, cornu ceruinum, verbenacæque rectæ ſemen ex aqua potum ſuadet, & interim ex Galen. ſomni, ac quietis ratio habenda eſt, quod vbi per totam diem factum fuerit, ad veſperam in balneo aquæ dulcis loto ebrio, optimis, ac refrigerantibus cibis alendus eſt, cuiuſmodi ſunt ptiſanæ ſuccus, ſorbitio ex alica, panis ex aqua, ac oua ſorbilia; ex oleribus vero lactuca, vtpote, quæ boni ſucci, & refrigerans eſt, ac braſſica, vt quæ vapores reſiccat, exhiberi debet; ex leguminibus lens optima eſt; quoad conuenientem potum, omnino aqua vtendum eſt: ſi vero accidat, vt ob aquam alicui ventriculus ſubuertatur, malum ponticum ei inſuper exhibeatur, vel per ſe, aut cum alica ſubacta probe cocta, & calida; præterea conferunt vuæ paſſæ, pyra, mala cydonia, & huiuſmodi alia, quæ adſtringendi, ac corroborandi vim habent; At ſi neque his executis ſomnus concilietur, ad balneum poſtridie quam celerrimè inducatur, & calida aqua ei frequenter in balneo ſuperfundatur, deinde vbi dormierit, aut omnino interpoſito tempore quieuerit

rurſus

rursus ad balneum ducatur, deinde veluti pridie connutriatur, & si his peractis mediocriter ebrius se habeat, eiusque ventriculus aquam renuat, aquosus potus ex aquosis vinis ei concedatur, quale est ex Galeno in Italia Sabinum, in Asia Titacazenum, & Arsyenium, & Ariusium. quin etiam ebrio sic se habenti gallorum testiculi, & alæ, pisces, saxatiles, & tenera carne præditi, columbarumque pulli exhiberi poterunt, & hoc vnum præcauendum, vt augescente, ac perseuerante dolore omnino quiescant, decrescente vero, in locis aptis deambulandum est; Apta autem loca ijs, qui calefactione opus habent, calidiora erunt, qui frigefactione frigidiora, & ante cibum plurimis deambulationibus vtendum, à cibo autem paucis, & lentis. Præterea nec multum comedendum, nec statim deambulandum est, sed post duas, aut tres, aut etiam plures horas à cibo, quod si his diligentijs adhibitis vapores, ac humores omnes in caput sublati, resoluti non fuerint, sed reliquiæ aliquæ supersint tenuibus meatibus impactæ, & ob id capitis dolor perseueret, à rosaceo abstinendum, & eius loco chamæmellino prius moderatè calido, posteà Irino summa cum cōferentia vtendum erit. In balneo verò caput calida perfundatur, tum ad discutiendum id, quod noxium in capite remansit, tum etiam ad somni conciliationem, qua propter etiam exhibitis prius lactucis ex aceto, secundum, aut tertium balneum ad vesperam apparandum est. His peractis, postera die, quæ magis caput calefaciunt, applicanda sunt, id quod commode fiet, si irino oleo, nunc nardinum, nunc costinum, nunc alia huiusmodi olea, & vnguenta misceantur, & hæc ad præcauendam, cognoscendam, ac propulsandam ebrietatem dicta sufficiant.

An

An vinum titillans, vulgo piccans nuncupatum, ſanitati ſit vtile. Cap. XXI.



ICET ea ſemper inoleuerit conſuetudo, vt pleriq; hominum, præſertim verò opulenti, ac magnates, nulli magis rei ſtuduerint, quam vt pretioſa vina eligant, & ſuauiter, ut aiunt, bibant, idque elegantis eſſe, nobiliſq; hominis ſemper existimatum fuerit, nunc tamen huiuſmodi conſuetudo eo peruenit, vt omnes homines cuiuſcumq; ſtatus, ac conditionis ſint, nihil magis affectent, quam optimo vino ſe ipſos replere, quod è longinquis etiam regionibus, ſi opus ſit, maximis ſumptibus adduci curant, grataq; inter eos colloquia ea eſſe ſolent, quæ ſuaues potationes concernunt, magniq; pretij inter amicos eſſe cenſetur, optimi vini munus, & quod deterius eſt, vino non vtuntur, vt aquæ meracitatem, cruditatemq; temperent, quemadmodum ad valetudinem tuendam deceret, ſed potius purum merumq; vinum ad guſtus oblectationem adhibent, adeo vt non ſolum ſitim non extinguant, cuius ratione potus appetitur, ſed potius augeant. Temporis autem proceſſu eorum viſcera ob nimium vini calorem à naturali ſymmetria ita recedunt, vt varijs morbis corripiantur, quibus ditiores præſertim, & Principes magis ſubijciuntur, quia cum exactius, ac diligentius, guſtui indulgeant, non contenti eo ſapore, quem natura ipſa pro vinorum diuerſitate tribuere ſolet, vina inter ſe miſcēt, & arte nouum in vinis ſaporem, maximo cum vitæ diſcri-

mine

mine exquirunt, maximamq. diligentiam adhibent, vt vinum mordax, seu vt dicunt piccans sit, hoc enim vinum apud ipsos omnia alia vina in bonitate excedit, & eo magis si dulcem saporem annexum habeat; propterea an huiusmodi vinum sanitati conueniat agendum censui, quod vt dilucidè appareat, hæc præmittenda sunt.

Primo qualitatem hanc titillandi, ac mordendi acinaceo vino, quod vulgo raspatum dicitur, vt plurimum contingere, siue ex acinis nigræ, vel albæ vuæ, & sola aqua fiat, vt pauperes solent, siue ex eisdem acinis, veteri vino, addita modica aqua conficiatur, vt apud ditiores mos est; præterea hoc idem aquettæ (quam nominant) euenit, quæ in Vrbe apud multos in vsu est, ac vindemiarum tempore, vel, dum adhuc vina recentiora sunt, ex duabus partibus dulcioris vini, & vna feruentis aquæ, diu in dolijs vinum ipsum, & aquam agitando conficitur, necnon etiam quibusdam alijs tenuioribus vinis, siue austera sint, siue dulcia, siue media, præsertim vero si aqua condita fuerint, vt Bononiæ consuetum est, ac denique idem cõtingere exploratum est quibusdam alijs fictitijs vinis, siue ex pomis, siue ex herbis, siue ex frugibus conficiantur, vt aliquæ nationes ob veri vini penuriam consueuerunt, nã vt Plin. ait lib. 14. cap. 22. ac si saluberrimus non esset aquæ liquor ad potum, quem natura dedit, & quo cætera omnia animantia vtuntur, homo omni ingenio, ac labore varias potiones excogitauit, in quibus heu mira (*inquit*) vitiorum solertia inuentum est quemadmodum aqua quoque inebriaret; *Adeo vt tunc temporis eueniret, vt in nulla parte Mundi cessaret ebrietas, quinimò vt ipse affirmat, præmio inuitaretur, hinc homines neque vera, neq; fictitia vina diluere curabant, sed meros succos hauriebant.*

Secundo sciendum est prædictam qualitatem dictis vinis accidere, dum recentiora sunt, nec ad longum tempus protrahi, sed ad nonum vsque, vel decimum mensem.

Tertio pro comperto esse debet, dictam qualitatem in dictis vinis, tunc præcipuè accidere, cum non nimium ferbuerint, & ideo qui conficiendis mordacibus vinis incumbunt, illud vrgent, vt feruorem eorum inhibeant, ne tenuia vini excrementa feruore suo absumantur, ac euanescant, quod apud Gallos præsertim consuetum est, qui, vt vina mordacissima conficiant, repletis iam doliјs, ita cohibent, vt nec agitari, nec expirare possint, adeo, vt mirum non sit, si dolia sic cohibita quandoq; disrumpantur; ex Gal. enim in primum de morbis vulgaribus. com. 1. Spiritus disrumpit, vel vtres, ac dolia, cum in musto feruescente accumulantur, lib. uero de plenitudine c. 8. scribit dolia præ musto ex flatuoso spiritu turgente, vi tentionis disrumpi.

Quarto supponendum est ex Gal. lib. 2. de simpl. med. facultatibus cap. 17. omnibus plantarum succis duplex inesse excrementum, alterum crassius, ac velut terrestrius, alterum tenuius, ac velut aquosius, & horum excrementorum, dum temporis processu ad coctionem, ac discretionem deueniunt, alterum residere, alterum vero consumi, quod enim terrestre est, & crassum (vt in vino fex) subsidet, quod vero tenuius, & aquosius est, ebullitione consumitur, ac in aerem soluitur, idem affirmare videtur lib. 3. de simp. med. facultatib. cap. 15. dum ait, in succis aliud esse, quod grauissimum est, aliud quod leuissimum, aliud tertium toti succo permistum: *lib. vero 4. de simpl. med. facult. docet, impossibile eſse, aut perdifficile vllam inuenire substantiam, quæ adamussim similarium sit partium,* vinum namq;, *inquit,* vnum habet in se recrementum crassarum partium, vnde,

dum

dum temporis ſpatio ſecernitur, ferturq; deorſum, fex conſiſtit. Aliud vero secūdum, quod florem nuncupant, quod dum vinum feruet ſupernatat, ſed poſtea ad feces ſubſidet. Tertium aqueum, quod toti vino permiſtum eſt, hoc primario, potiſſimumq; feruet. Quartum præter hæc eſt ipſum re vera vinum.

His ſuppoſitis dicendum eſt, vinum mordax, ſiue pictans ſanitati vtile non eſſe, quia punctio illa, non aliunde oritur, quam ex flatuoſi ſpiritus redundantia: redundat autem flatuoſus ſpiritus in vinis, tum ob eorum imbecillem calorem, et aquei, ac crudi humoris abundantiam, quatenus ſcilicet imbecillis calor non poteſt niſi longo temporis interuallo id, quod aqueum, & crudum eſt in ipſis reſoluere, quo fit, vt aſsidue maxima flatuoſi ſpiritus copia coaceruetur; cum etiam quatenus ſæpe accidit, vt vini feruor intercipiatur dolia coercendo ante perfectam ebullitionem, & propterea etiam contingit, vt ebullitione tenuis, aquea, & cruda vini pars in halitum, ſiue aerem ſolui non poſſit, neceſſe eſt itaque, vt vina ſic cohibita flatuoſo vapore maxime abundent, cum eius impetus foras erumpendi coerceatur: Adeo, vt ſi huiuſmodi vina interim è doliјs hauriantur, magna vi proſilire conſpiciantur, præſertim vero, cum vinum in vitreum craterem effunditur, tunc enim, tanquam foribus patefactis, flatuoſi illi ſpiritus, qui prius quieſcere cogebantur, impetum faciunt, ac confeſtim ſurſum feruntur, ita vt in illo vehementi motu; ſpuma etiam quædam in vini ſuperficie pullulet, & hæc omnia tunc præcipue conſpiciuntur, cum vina, vel acinacea ſunt, vel recentiora, vel ex vuis immaturioribus confecta, vina enim illa, quæ ex vua ſilueſtri, labruſca nuncupata, parantur, ſi eorum feruor intercipiatur, maximè proſiliunt, quatenus enim aqueo, ac cru-

do humore magis abundant, maiorem etiam flatuosorum spirituum quantitatem continẽt, & hinc est, quod Hetrusca vina maximè prosilire conspiciuntur, solent enim Hetrusci vinum è labruscæ vuis exprimere colore admodum nigro, idque giluo admiscere, vt rubicundius reddatur, & hac ratione euenit, vt huiusmodi vina satis mordacia, siue piccantia reperiantur, quæ mordendi qualitas, ac etiam odor, vt vult Plinius lib. 14. cap. 20. accidit etiam vinis, si musta in primo feruore, qui nouem diebus, vt plurimum peragitur, pice condiantur, sic enim fit, vt vinis odor, ac saporis quædam acumina contingant, & eo magis id accidere posse existimandum est ex eiusdem Plinij sententia, si musta crudo flore resinæ condiantur: Verum huiusmodi vellicandi qualitas in vinis omnibus, siue naturalia sint, nempe ex vuis, siue fictitia, nempe ex pomis, herbis, ac frugibus, eo vsque producitur, donec illud tenue, aquosum, & crudum excrementum, quod ex intercepta bullitione, siue ex modica ipsorum vinorum naturali caliditate ab initio in halitum, siue in aerem resolui non potuit, tandem temporis diuturnitate per vlteriorem coctionem resoluatur, id quod decimo ad summum mense euenire solet, & si hoc non contingat, vina huiusmodi, acescere necesse est.

Ex dictis itaque satis apertè colligi videtur, quàm perniciosa sit in vinis titillandi, siue piccandi qualitas, quam ferè omnes, & præcipue Principes adeo expetunt, ac extollunt, & eo magis, si non solum palatum, sed oculos etiam ita feriat, vt lacrymas eliciat: Quod hyeme præsertim ratione frigidioris ambientis euenire solet: huiusmodi vinum apud ipsos selectissimum, ac celebratissimum est, cum tamen ob multitudinem flatuosi spiritus, quo refertum est, perniciosissimum dici debeat, non enim est vini sapor, qui pungit,

sed

ſed ſpiritus, quo vehitur irruentis impetus, hinc eſt, quod quo magis vinum hoc flatuoſo ſpiritu abundat, eo magis ſærit, vt acinaceo vino, quod raſpatum nuncupant contingit, præſertim ſi ſola aqua confectum fuerit, ſuauis autem punctio ex vini dulcedine, ſeu alio delectabili ſapore oritur; nam ad hoc vt vinum ſuauiter pungat, vel vellicet, neceſſariò hæc duo requiruntur, flatuoſi ſpiritus impetus, ac dulcedo, ſiue alius gratus ſapor, vt id ſuauiter & iucundè contingat, ſic itaque ex irruentis ſpiritus impetu, ac dulci ſapore prurientis punctionis ſpecies, cum delectatione quadam reſultat, ita ut, ſi flatuoſus ſpiritus abſit, vinum pungere non poſsit, abeſt autem, dum perfectè ebullierit, ac ad maturitatem deuenerit; ex ebullitione enim tria vino accidunt. Primum eſt exacta omnium partium miſtio. Secundum eterogenearum partium ab homogeneis ſeparatio. Tertium vini puritas, ſinceritas, ac ſplendor, ita vt hæc omnia vbi contigerint, in vinis tenues quidam ſpiritus excitentur, à quibus omnem formam, vigorem, ac gratiam recipiunt, contrarium accidit, ſi ea perfectè non ferbuerint, ita vt ad maturitatem non deuenerint, neceſſe eſt enim, vt impura ſint, & aqueus ille humor, qui bullitione in aerem reſolui debebat, in flatuoſos ſpiritus vertatur, qui cum in dolijs vi cohibiti, ac recluſi maneant, tandē dum vina hauriūtur, cuiuſcunque generis ſint, ſiue naturalia, ex vuis inquā, ſiue fictitia, in craterem fuſa, ex ſpirituum impetu emicare, proſilire, ac vibrari conſpiciuntur, ac in potu ſuauiter pungere ſentiuntur, quatenus ſcilicet vinorum gratus, ac ſuauis ſapor tanta vi in guſtus ſenſorium à ſpirituum impetu fertur, vt ratione ſuauis, & grati ſaporis, ac ſpirituum impetus, ſuauis punctio oriatur, cuius tanta voluptas eſſe non poteſt, vt detrimentum longè maius non ſit, nam cum huiuſ-

modi vina crudiora ſint ob aquei, & crudi humoris redundantiam, ac flatuoſi ſpiritus copiam, ægrè in ventriculo conficiuntur, coctionem impediunt, difficilè per aluum tranſeũt, vrinam non mouent, ſanguinis generationi, ac nutritioni infeſta, atque aduerſa ſunt, ac ſæpe, vt aqua in hypocondrijs ſuspenſa manent. Concludendum itaque à vellicantibus, ſiue piccantibus vinis tanquam admodum noxijs, noxiamque voluptatem afferentibus, omnino abſtinendum eſſe.

Et quoniam hic dubitatio maxima oriri poteſt, quid nam rei ſit, cur dulcia vina magis mordicent: quam quidem ob cauſam in Vrbe ad aquettam conficiendam huiuſmodi vina ſemper eliguntur, nempe Corſicum, Latinum, Græcum, Veſuuianum, & quod lachrima vocatur, & huiuſmodi alia vina, quæ Romam ſingulis annis ex omnibus Prouincijs comportari ſolent.

Reſpondeo, id propterea accidere, quia vina exactè dulcia craſſiora ſunt, & flatuoſo ſpiritu magis abundant; præterea dulcia vina ex Gal. lib. 4. de ſimp. med. facult. cap. 9. mitem caliditatem habent, quam ob cauſam, nec inebriant, vt Galen. ait in lib. Hipp. de victus ratione in morbis acutis comm. 3. & alijs in locis. Hoc idem reſpondere videtur Ariſtoteles lib. 4. Meteorologicorum cap. 2. hæc inquiens, Vinum autem dulce exhalat, pingue enim, eſt autem nomine vinum, opere autem non amplius. Non enim vinoſus ſapor. Quapropter non inebriat, quodcunq; enim vinum, inebriat proculdubio, paruam autem habet exhalationem: Quapropter & emittit flammam. *Præterea reſpõdeo, dulcia uina in Vrbe eligi ad aquettam parandam, ad maiorem guſtus oblectationem, à dulci enim vino, magis ſuauis, ac grata punctio oritur.*

His omnibus addendum eſt, uinum piccãs antiquis ignotum

tum non fuisse, atque apud ipsos uarijs modis expressum reperiri. Plinius enim huiusmodi uinum indicasse uidetur lib.14.cap.2.sic scribens, picis aspersu odorem vino contingere, & saporis quædam acumina. *Auerroes Arabum doctissimus 7. collect. cap.16. hoc idem demonstrasse uidetur, per hæc uerba.* Et vinum, quod melius reperitur, est aromaticum, cuius caliditas penetrare potest per totum corpus, quod sit sine amaritudine, & stipticitate, & est illud vinum, quod est vinosum, pũgitiuum in principio, & post delectabile, sine aliqua amaritudine, & ponticitate. *Plautus etiam idem uinum significasse uidetur, ut uult Mercurialis lib. 2. uariarum lectionum cap. 13. nam cum in penulo hæc uerba habuerit,* vetustate vino edentulo ætatem irriges, *ex his uerbis colligit Mercurialis, Plautum edentulum uinum uocasse ad illius differẽtiam, quod dentatum, atque mordax erat, sed pace tanti uiri sit dictum, ex Plauto hoc nullo modo colligi potest, per uinum enim edentulum de more ludens, uinum adeo antiquum indicare uoluit, ut ob uetustatem dentes amisisset, non autem edentulum uinum ad dentati uini differẽtiam uocauit, ut Mercuriali placuit, idque manifestè demonstrat Athenæus ex Antiphane in Iaculatrice lib.10. his uerbis.*

Mulieribus omnium rerum satis est, si vini est
Ad bibendum satis: & ita me summus amet Iuppiter,
Aderit quantum volemus: aderit inquam, & id admodum suaue, edentulum, iam marcidum:
Annosum dico.

Et animaduertendum est, hac nostra tempestate uinum, de quo agitur, piccans, antiquo corrupto uocabulo nuncupari, antiquitus enim huiusmodi uinum non piccans, sed picatum

tum à pice nuncupabatur, quia nõnulli antiquorũ in Italiæ Prouincijs consueuerunt, musta pice condire, cuius ratione, vt Plinius supracitato loco asserit, vinis non solum odor, sed saporis quædam acumina contingebant, & vt refert Columella, veteres antea quam picem vino aspergerent, non solum eam abluebant, sed alijs etiam modis grauem ipsius odorem corrigebant, vt sic suauis vino odor contingeret. Hæc de mordaci vino in præsenti dicta sufficiant.

Vinum ne, an aqua post fructuum comestionem sumi debeat. Cap. XXII.



T de recto vini vsu exactam cognitionem in omnibus habere valeamus, perpendendum etiam videtur, an post fructuum esum vinum, an aqua potari debeat, qua in re si Auicennam consulere velimus 3. 1. doct. 2. cap. 8. vinum post cibum mali chymi, & similiter super fructus, & propriè melones, vt ipse inquit, sumendum non est: Cuius rei hanc causam affert, quia malum chymum in extrema corporis penetrare facit, & quidem fructus mali chymi esse, testatur etiam Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus, cap. 2. & propterea cap. 6. eiusdem libri horariorum fructuũ sermonem prosequens, sic loquitur; ob eam igitur causam omnibus praui succi edulijs censeo abstinendum, etiam si ea quibusdam concoctu sint facilia: Nobis enim non aduertentibus prauus succus ex ipsis post longum tempus in venis colligitur, qui postea exiguam ad putrescendum

occa-

occasionem nactus, febres malignas accendit, *quod libro de succorum bonitate, & vitio confirmat, hæc habens.* Semper tamen ab ijs abstinendum, quæ succi mali sunt, nisi quando tamen necesse sit æstatis tempore laborantibus corporis totius squallorem, caloremq; curare. Quo planè tempore commodè sumi prius poma possunt, & pruna, & mora, & cerasa: quin, & cucumeris tunc, & peponis, & melopeponis, paululum assumi potest: deque præcocijs, quæ uocant, aut persicis; *Ita ut ad curandum potius corporis squallorem, quam pro corporis nutritione paululum tantum fructuum ex Galeno sumi debeat. Ex Aristotele autem section. 22. problemat. problemat. 8. quo ad vini, vel aquæ potum post fructus aliter sentiendum videtur, quærens enim supra citato loco, cur post fructuum comestionem, vt ficuum, cæterorumq; generis eiusdem, vel vinum merum, vel aquã superbibere debeamus, quæ quidem aduersa inter se sunt, respondet;* An quia genus pomorum & calidum, & humidum causa suæ generationis est? habet enim tum ignis copiam, tum humoris. Itaque succus pomi ueluti feruorem intus, per ignem excitat, quomodo mustum foris effeeruet, ui tamen hebetiore: humor autem nimius cruditatem committit. Aqua igitur suo frigore feruorem illum frangit, atque extinguit: & uinum suo calore idem plerumque efficere potest, quippe quod perinde atque ignis igni multus pauco uires subtrahat, amplius tamen humoris copiam suo calore emollit, & concoquit, suoq; pondere innatantem illum feruorem uincit, ac reprimit; *Quare ex Aristotele concludendum videtur, super calidiores fructus aquam potandam esse, vt suo frigore ipsorum feruorem frangat, atque extinguat; super humidiores autem vinum merum exhibendum, vt eorum hnmiditatem emolliat, ac*

concoquat. His contrarijs existentibus opinionibus, inuestigandum videtur, Auicennæ ne, an Aristotelis opinio approbanda sit, & equidem hac in re, si post fructus potandum sit, vino vtendum iuxta Aristotelis sententiam censeo: cum fructus omnes, siue horarij, & fugaces sint, vt pepones, melopepones, cucumeres, & alia huiusmodi, siue ex arboribus colligantur, solidæq; sint substantiæ, ut pyra, poma, citonia, punica, & similia, ut plurimum crudi, & praui succi copia abundẽt, præsertim uero horarij fructus, & propterea etiam multos flatus in uentriculo excitent, certum est ex modico uini usu abundantem ipsorum humiditatem, ut inquit Aristoteles, coerceri, & flatus ne gignantur prohiberi, quod tantum abest, ut aqua præstare possit, ut potius maiorem cruditatem afferat, flatusq; addat, præsertim uerò, si post horarios fructus bibatur, & propriè post pepones, contra Auicennæ sententiam, uinum necessarium esse existimo; cum enim ob ipsorum tenuiorem substantiam, ac humiditatis copiam facilè putrescant, sicut & cæteri horarij fructus, vinum ab huiusmodi putredine eos defendit, quia eorum substantiam firmat, ac solidat: Post aliquos uerò calidiores fructus, & præcipuè ficus, à uino abstinendum, & eius loco aquam potandam, summo iure existimandum est: uinum enim non solum ficuum innatum calorem, sicuti & cæterorum calidiorum fructuum augendo, æstuationem affert, sed ipsos duriores efficit, ita ut in uentriculo fluctuent, aqua uerò dissoluantur, ob id facilè etiam secedunt. Quare si post fugaces fructus, ac eos etiam, qui ex arboribus colliguntur potandum sit, uinum potius, quam aquam laudo, licet post illos statim bibere sæpenumero inutile, non rarò noxium existimem, uel enim ex huiusmodi fructibus sitis extinguetur, & sic quilibet potus inutilis erit, uel ob eorum uelocem

corru-

corruptionem sitis augetur, ut sæpe contingit, in ijs præsertim, quibus uentriculus prauis humoribus refertus est, & hoc casu omnis potus noxius dici debet; si autem ob consuetudinem, uel aliam causam, post fructus bibendi necessitas urgeat, licet uinum magis, quam aqua malum chymum in extrema corporis penetrare faciat, tamen uini potio post fructus melior est, quam aquæ; uinum enim facilem ipsorum ad putredinem propensionem tuetur, aqua vero coadiuuat; Si autem post fructus, vel vna cum ipsis, alia cibaria edantur, vt communis mos est in cœna, & prandio, adhuc magis eorum prauus succus corrigetur, præsertim si modicus sit ipsorum vsus, vt decet: adeo, vt nulla dubitatio oriri possit, an vinum, aquaue malum fructuum chimum in extrema corporis penetrare faciat, quia ventriculus ante ciborum omnium perfectam coctionem nihil abire sinit, nisi cibi in ipso corrumpantur, vel quantitate, & qualitate peccent, quod ex modico fructuum esu additis alijs optimi chymi cibarijs accidere non potest, vt Galenus manifestè demonstrat lib. 2. de sympt. caus. c. 3. his verbis. Ad eundem modum monstratum est, ventriculum quoque inferius os suum post cibos claudere, nihilq; sinere abire, priusquam planè sit concoctum: si tamen eum nihil aliud intermittere actionem cogit, quemadmodum vterum fœtus corruptela: quippe similis affectus ventriculo accidit, vbi cibi in eo sunt corrupti: Immò verò non raro simul, ac sunt deuorati, nimirum si vel vitiosi adeo sunt, vel copiosi, vt eos ferre non possit. *Quare ex dictis satis constare videtur modicum vini vsum post fructus conducere.*

FINIS.

INDEX
RERVM NOBILIVM, QVAE HOC in opere continentur.

A

Q ma-

D

E

F

nis

I

L

M

P

T

V

simi-

scum.

FINIS.

2-6